

176a.

On 8th Oct



DISSE¹⁶RAT¹⁵TIO PHILOSOPHICA
DE
SYLLOGISMIS
KATA METΑΛΗΨΙΝ,
NEC NON
KATA ΠΟΙΟΤΗΤΑ,

Q U A M

D. O. M. A.
IN ILLVSTRI ACADEMIA JULIA

P R A E S I D E

**JOHAN. BARTHOLDO
NIEMEIERO,**

SS. Theologiæ D. Ejusdemque , nec non Primæ
Philosophiæ ac Logices Professore Publico Ordinariō , Facultatis Philosophicæ

Seniore,

Ad D. XXXI. MARTII cīc Iccc.

IN JVLEO MAJORI
publico Eruditorum examini submitteb
ADOLPH. GEORGIVS Heinemann/
Brunsvicensis.

—(o)—

HELMESTADII,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

PER · ILLVSTRI ATQUE EXCEL-
LENTISSIMO

D O M I N O ,

Dn. PHILIPPO LUDOVICO
PROBST de Wendhausen/

Hæreditario Domino in Wendhausen/ Riddags-
hausen/ Schöningen &c. &c. &c.

Serenissimorum Ducum Brunsvico - Luneburgico.
corum Primo Status Ministro ac Cancellario,

nec non

Consistorii Ducalis Directori

splendidissimo,

Domino suo gratiosissimo.

UT ET

ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO
D O M I N O

Dn. JOHANNI ADOLPHO
de Steinberg/

Hæreditario Domino in Westerburg/ Bodenburg/
Bornhausen &c. &c.

Domino & Patrono suo submisse colendo,
Exercitationem hanc, studiorum suorum primitias,
submisse

D. D. D.

ADOLPH GEORG Heinemann/
Philos. & Theolog. Studiosus,

Σὺν Τῷ Θεῷ.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

S Y L L O G I S M I S

KATA METΑΛΗΨΙΝ,

NEC NON

KATA ΠΟΙΟΤΗΤΑ.

S. 1.

ETiam si optimum in hac tenus ignotæ, medium tamen ac cognoscendi principium non respuentis, quæstionis notitiam deveniendi instrumentum sit Syllogismus, hujus tamen in omnibus quæstionibus evolvendis non una eademque ratio est futura. Ut enim de eo non dicamus, ipsos Syllogismos ratione figurarum ac modorum ita variare, ut nonnulli eorum sint affirmantes, nonnulli negantes, alii item universales, alii particulares, I. Prior. XXIII. §. 2. II. Prior. I. §. 2. imò & alii perfecti, alii imperfeci, I. Prior. I. §. 9, 10. discriminem etiam ratione principiorum admittunt, dum nonnulli ἐν τῷ ἀριθμῷ, alii ἐν τῷ ἔνδοξῷ, alii autem ἐν τῷ εἰκῇ procedunt, atque hæc ratione vel demonstrativi sunt, vel dialectici, vel oratorii. Imò etiam nonnulli eorum sunt δειλίοι, conclusionem quæstam directè inferentes, nonnulli autem ἐξ ἀπόστασις procedentes ac conclusionem, de qua principalius quæstio est, ipsam immediate & proximè non inferentes, sed hypothesin quandam assumentes, quâ mediante de-

mum, atque adeò indirectè & viâ nonnihil obliquâ, principali questio confirmetur I. Prior. XXIII. §. 2. cap. XXIX. §. 6.7.
II. Prior. XIV. §. 1.

II. Syllogismi ejus, qui fit ex hypothesi, pars est tò διὰ τὴν ἀδύνατον, ille, qui fit per impossibile. I. Prior. XXIII. §. 2.
Quò accedit Syllogismus κατὰ μελάντινον, sive ὁ γένεται τρόπος
τὸ μελαλαμβανόμενον, sive, qui fit de eo, quod transsumptum est,
ita ut ἐστὶ ἀρχῆς, id quod ab initio possum fuit, sive, questio
principalis probetur δι' ὄμοιογίας, ή τινὲς αἴτιοι ὑποθέσεως, per
confessionem, aut per aliquam aliam hypothesin. I. Prior. XXIII.
§. 12. Quò accedit syllogismus κατὰ ποιητικήν. Considerare e-
nīm oportet, ac divisione explicare, quot modis siant Syllogismi ex
hypothesi. I. Prior. XXIX. §. 7.

III. Nostri instituti hāc vice erit, ex hac varietate,
eam Syllogismorum ēτι ὑποθέσεως speciem feligere, quæ κατὰ με-
λάντινον est, I. Prior. XXIX. §. 6. ac τρόπος τὸ μελαλαμβανόμενον. I.
Prior. XXIII. §. 12. Cui considerationi pauca quædam de Syl-
logismis, qui κατὰ ποιητικήν Aristoteli I. Prior. XXIX. §. 12. con-
cludere dicuntur, subjungemus. Syllogismum autem meta-
lepticum sive κατὰ μελάντινον Joh. Baptista Monlorius Paraphras.
in l. c. p. 176. vocat ex transsumptione, seu translatione: idq;
ideò, quòd per hunc Syllogismum non questio proposita pro-
ximè & immediatè probetur, sed probatio ejus in aliam trans-
feratur questio, quæ vel questioi principali similis sit,
vel eidem cognata, probatu tamen nonnihil facilior.

IV. Cum ergò Syllogismus κατὰ μελάντινον, conclusio-
nem principali questioi vel cognatam, vel similem re-
spiciat, facilè patebit, considerationem similitudinis, sive
veræ, sive apparentis & secundum hominum opinionem.
tal is, quæ aliás inter instrumenta inventionis Dialekticæ
refertur, non parum conducere ad nonnullos ēτι ὑποθέσεως
concludentes syllogismos, neque solū ad syllogismos κατὰ
ποιητικήν concludentes exstruendos plurimum conducere, ve-
rū etiam structuram Syllogismorum κατὰ μελάντινον non pa-
rum juvare. Id quod post alios Celeberrimus Dn. Andreas
Hedio

Hedio in Topic. libr. I. cap. IV. p. 147. 148. observavit, neque
Dn. Joh. Schilterus Dissertat. de Syllogismis hypotheticis
monere neglexit, §. IV. inquiens: *Vnde ad hunc metalepti-*
cum Syllogismum conficiendum conferre dicitur quartum inventionis
Dialecticæ instrumentum, ἢ τὰ ὄμοια σκέψις, consideratio similitu-
dinis, I. Top. XIIIX. §. 9. u. tām in iis rebus, quæ generibus diffe-
runt, quām quæ sub eodem genere specie differunt. Sed videtur
etiam primum inventionis Dialecticæ instrumentum hoc condu-
cere, τὸ τεχνάσιον λαβεῖν, sumio propositionum, quippe quā non
rāntūm probabiles, sed etiam his similes cum probabilibus conjungun-
tur, ut patet ex I. Top. XIV. §. 2.

V. Sed audiamus ipsum Aristotelem I. Top. XIIIX. §.
9, II. ita inquietem: *Similitudinis contemplatio utilis est ----- ad*
syllogismos hypotheticos: quia probabile (ἐνδεξόν) est, ut in uno eorum,
quæ similia sunt, res habet, sic etiam in reliquis habere. Quò circa de
quovis eorum differendi copia nobis suppetat, prius ex confessu accipiemus
(τεχνιολογίαν), ut in illis se res habet, sic & in eo, quod
propositum est, (ἐπὶ τῷ τεχνημένῳ) habere: cùm autem illud proba-
verimus, etiam propositum (τὸ τεχνεῖμον) ex hypothesi probaverimus:
cùm enim supposuerimus, ut in illis res sese habet, ira etiam in eo,
quod propositum est, habere: demonstrationem confecerimus. Quæ
verba præcipue de Syllogismo καλὰ μελάντια loqui existimat
Joh. Neldelius Instit. de Usu Organii Arist. part. III. cap. II,
§. 37. inquiens: De hac Syllogismi ex hypothese specie (quæ est
καλὰ μελάντια) loquitur Aristoteles I. Topic. cap. uit. in quo recen-
sentur trium posteriorum futuri Dialectici τεχνημάσιων seu τῶν
ἐργάτων inventionis utilitates, & inter alias ἢ τὸ ὄμοια σκέψις ἡ διείστα-
σθεῖσα σκληρόμενος, id est, ad Syllogismos ex hypothesi. Non enim qui-
libet Syllogismus ἐξ ὑπόθεσος probans generatim ibi innuitur, sed
Syllogismus tantum, ut alias vocatur, μελάντιος, ut sequentia
verba satis confirmant, in quibus exponitur utilitatis hujus ratio:
διότι ἐνδεξόν ἔστι, ὡς τοῦ ἐφ ἐνὸς τῶν ὄμοιων ἔχει, ἀπός οὐδὲ
ἐπὶ τῶν λοιπῶν, id est, probabile est, ut res habet in uno simili-
um, sic etiam in reliquis se habere: ita si de uno aliquo differere
poterimus, illud ante ex conventione accipiamus. &c. Quam exposi-
tionem

tionem etiam; quæ & Alexandri Aphrodisiensis est, sequuntur Dd. Academiæ Venetæ in I. Top. cap. XIV. p. 27. b. ita quidem, ut de iis potissimum Syllogismis καλὰ μετάληψις sermonem esse judicent, qui διὰ ἐμερογίας, aut ex concessione vel conventione aliquid concludunt; οὐδὲ τυπωθέντες ὀμερογέμενοι. I. Prior. XLIV. §. 1.

VI. Est autem Syllogismus καλὰ μετάληψις, quando non quidem principalis quæstio, utpote vel minus nota, vel probatu difficultior, per Syllogismum infertur, sed alia quædam magis nota & probatu facilior, à qua tamen pendet principalis quæstionis confirmatio, ita, ut si illa fuerit probata, altera hæc etiam, nempe principalis quæstio, probata esse censeatur. Benè Planerus Quæst. in I. Prior. p. 197. 198. Syllogismum καλὰ μετάληψις Aristoteles ita definit, quod sit, qui non concludat à principio propositum, sed aliud assumat, & inde probet, quod ab initio est propositum. In hac ergo specie Syllogismorum id, quod probatur, est extra complexum Syllogismi, sed pro probato & demonstrato habetur, quia aliud quiddam, quod cum proposito principali connexionem habet, probatum est scilicet & demonstratum. Quedam enim sunt naturâ duriora & improbabilia; illa transferuntur ad propositiones notiores & probabiliores per μετάληψιν, quibus probatis syllogismò, etiam id, quod durius est, ex hypothesi probatum esse censetur. Hanc per μετάληψις transitionem ab improbabilioribus ad probabiliora, Graci μεταβασιού vocant; cuius meminit Aristoteles libr. I. Ethicorum ad Eudemum. Unde adeò Syllogismus καλὰ μετάληψις duo complectitur: 1. τὸ μεταβανόν, sive quæstionem minus principalem, Syllogismò δειλινῷ inferendam. 2. τὸ εἶ ἀχρή, quæstionem principalem, atque id, quod ab initio probandum erat propositum, quod I. Topic. XLIX. §. II. τὰ περιεμένα appellatur. Vid. I. Prior. Anal. XXIII. §. 12.

VII. Quandoquidem autem τὸ μεταβανόν δειλινό est probandum, oportet probationem ejus secundum aliquam trium figurarum syllogisticarum institui. Id quod ex I. Prior. XXIII. docet Zacharias Ursinus in h.l. p. 62. docens, idèo
Syllog.

syllogismos, qui sunt ad transsumtam conclusionem veram, revocari ad aliquam trium figurarum, quia in illis etiam conclusio transsumta Syllogismō ostensivē monstratur, qui necessariō est in aliqua iriūm figurarum: & ex hujus syllogismi conclusione sive per adversarii concessionem & cum illo conventionem, sive per hypothesin alioqui certam & evidenter conclusio demum principalis evincitur esse vera. Vnde ratione πειρωτος Syllogismi τὸ μελαλυβανόμενοι inferentes non aliter esse habent, quam ἡ δεικτική, sicuti nec ratione οὐαλύτως aliter, quam ἡ δεικτική sunt tractandi. De eorum Analysis vid. Höpfnerus Comm. in I. Prior. XLIV. p. 341. seqq.

IX. Non quidem negandum, in reliquis quoque syllogismis εἰς ἵποθέσιος esse aliquod μελαλυβανόμενον, adeò quidem, ut Alexander Aphrodisiensis in I. Prior. XXIII. §. 12. Monloriō teste, omnem Syllogismum εἰς ἵποθέσιον dixerit esse quoque κατὰ μελάντιον, etiam cum, qui ducit ad incommodum, quod in eo pro quaestione proposita sumatur examinanda ejus contradicens. Sicuti & Henr. Höpfnerus ejus vestigia legens Comm. in I. Prior. p. 190. ita scripsit: *Est hoc significatio non specialis tantum, & huic primo syllogismorum hypotheticorum generi competit, ut vult Monlorius, sed etiam generalis, ita ut omnibus, quos sic Aristoteles vocat, syllogismis hypotheticis tribuitur τὸ μελαλυβανόμενον, ut ex modo allegati cap. XXIII. §. 12. Alexander ostendit: ἐν ἀπαντήσει ὁ μὲν οὐαλυτισμὸς γίνεται τὸ μελαλυβανόμενον, in omnibus, qui ex hypothesi arguunt, syllogismus quidem sit ex eo, quod transsumptum est. Interim tamen cùm evidentissimè τὸ μελαλυβανόμενον in his syllogismis εἰς ἵποθέσιος, de quibus nunc agimus, non solum assumatur, sed & probetur, atque uti Jacobus Schegkius Comm. in I. Prior. XXIII. ait, in reliquis τὸ μελαλυβανόμενον præcipue sit una ex numero premissarum, in his autem illud sit conclusio ipsa, quā probata conceditur etiam, principale propositum esse probatum; hinc sicuti alias non infrequens est, nomen generis ad designandam speciem traduci, ita factum etiam est, ut nomen generis indutum sit huic prima syllogismorum hypotheticorum speciei: in qua aliquis quaestiūnem magis probet.*

probabilem, ad quam à principali questione transit, vel ipse supponit; verba sunt Henrici Höpfneri l. c.

IX. Qvamvis autem τι μελαμβανομένη probatio δεικνυται propter τὸ ἄρχοντα suscipiatur, non tamē eādem ratione hoc ad illud sequitur aut cum eo cohaeret. Etenim ut τὸ ἄρχοντα probetur, τὸ μελαμβανόμενον δεικνυται probatum assumitur nunc ut nuda quædam οὐσία, sive ut Höpfnerus l. c. ait: quando quis questionem magis probabilem, ad quam à principali questione transit, ipse supponit. Unde Syllogismo etiam sua est denominatio, quod vocetur ἄρχοντας, & quidem καὶ ἄρχοντας. Nunc verò assumitur conclusio minus principialis sive τὸ μελαμβανόμενον per paclum aliquod sive conventionem eamque sive tacitam, sive expressam, initium cum eo, quidcum nobis res est, ita quidem, ut si τὸ μελαμβανόμενον sit probatum, etiam τὸ ἄρχοντα lubens velit admittere. Sive, ut Höpfnerus ait, quando quis questionem magis probabilem, ad quam à principali transit, sibi concedi postulat ab adversario, atque inde ex conventione argumentatur. Unde Syllogismus appellatur διδούλοις, I. Post. XXIII. §. 12. item εὐλογίστας διὰ συνδίκου δομολογήμενος. I. Prior. XLIV. §. 1. Atque is est, qui aliis Græcis, ceu Planerus indicat, μελαβιθασμὸς vocatur.

X. Pertinent huc verba Aristotelis I. Prior. XXIII. §. 12. ubi postquam monuisset, in argumentationibus ἄρχοντας syllogistum freri de eo, quod transsumtum est, (περὶ τὸ μελαμβανόμενον,) subjicit: τὸ δὲ ἄρχοντα πειράντες διδούλοις, διὰ πόλεων οὐσίας, quod ab initio propositum fuit, probatur per confessionem, aut aliquam aliam hypothesis. In quæ verba hæc annotat Antonius Scaynus p. 366. Ait, Syllogismos alias ex suppositione constantes hunc in modum perfici, ut, quod assumitur, probetur syllogismō ostensivō. Veluti si accipiatur, quod si anima à se ipsa moveatur, est immortalis: istud erit transsumtum, quod anima à se ipsa moveatur: id autem syllogismō ostensivō erit demonstrandum. Quod autem anima, si à se ipsa moveatur, sit immortalis, id ut manifestum constituitur ex mutua disceptantium confessione.

fessione. Cùm autem ait Aristoteles : *aut ex alia suppositione;* Scaynus subjicit : *nempe ex aliquo principio, de quo non fuerit inter ipsos sermo, sed ex communibus locis probabilibus dependet. Veluti, quod illud, quod inest uni specierum, inest omnibus speciesibus ; unde probabat Aristoteles in lib. II. de Cælo cap. XI. omnia corpora esse sphaerica, si luna esset sphaerica.*

XI. Clariùs ob oculos hæc omnia ponи possunt, si exempla quædam accedant. Quandoquidem verò Stoici hōc argumentorum genere præ reliquis sunt delectati, ipsorum quoq; doctrinæ sunt adeundæ. Quamvis autem Heraclides Stoicus neque peccata, neque rectè facta paria esse dixerit, & Chrysippus ~~τὰς ἀρετὰς διέτεινεν~~ fuerit largitus, alii tamen Stoicorum, quos Tullius Paradoxō III. sequitur, peccata paria esse statuerunt; quorum sententiam amplexus quoque est Seneca Epist. LXV. & LXVI. de quæ ea testimonium perhibere potest Plutarchus de Contrar. Stoicor. Vid. Lipsius Manudiction, ad Stoicam Philos. libr. III. Dissert. VI. In hujus verò quæstionis confirmatione Cicero occupatus, inter alia probationem refert in hanc quæstionem : *Virtutes esse pares.* Hoc verò μέλαλαμβανόμενοι inter alia inde probat, quia *virtus*, ceu Seneca Epist. LXV. loquitur, *in modo est posita*, atque ita sicuti verò verius invenies nihil, ita nec rectò rectius, nec bono melius.

XII. Id quod sanè l.c. volunt verba Tullii: *Una virtus est, consentiens cum ratione, & perpetuā constantiā: nihil huic addi potest, quò magis sit virtus; nihil demī, ut virtutis nomen relinquatur.* Quibuscum consentit Seneca Epist. LXV. Nihil invenies rectius rectò: *non magis, quam verò verius, temperatò temperatius.* Omnis *in modo est virtus: modus certa mensura est: constantia non habet, quò procedat: non magis, quam fiducia, aut veritas, aut fides.* *Quid accedere perfecto potest? nihil.* Syllogismus itaque dehinc hoc μέλαλαμβανόμενοι inferens talis effet futurus:

Quæcunque in modo (mediocritate centri instar habente) sunt posita, illa sunt æqualia.

B

Virtu-

Virtutes earumque actiones, & in universam bona &
recte facta in modo (mediocritate centri instar
habente) sunt posita.

E. Virtutes, earumque actiones, & in universam bona
& recte facta sunt æqualia.

Porrò idem μελαμπεσθέμενον inductione præcipuarum virtutum cardinalium, quas Stoici constituebant, probat, inquisens: Nec temperante temperantior, nec forti fortior, nec sapiente sapientior potest fieri. Idcirco nec bono melior: atque ita pares sunt virtutes. Ex hoc μελαμπεσθέμενον, tanquam ex hypothesi, sequitur ἂ εἴ ἀρχῆς, Virtus & peccata esse æqualia. Quandoquidem si una contrariarum qualitatum non est capax τῷ μάτιον τοῦ θεοῦ, neque etiam altera illud recipiet. Hinc Cicero: l.c. Quoniam pares virtutes sunt: recte etiam facta, quando à virtutibus profiscuntur, paria esse debent: Itemq[ue] peccata, quoniam ex virtutis manant, sunt æqualia necesse est. Virtutis autem & recte factorum nomine non tam τὰ καθήκοντα, quam τὰ κατορθώματα Stoici intelligunt, ut Hieron. Wolffius ad illum locum annotavit.

XIII. Aliud exemplum Syllogismi νατὰ μέλαντιν Jacobi Schegkii verbis exhibebimus. Ita autem ille Commentar. in I. Prior. XXX. p. 253. Si παραδοξότερον & durius videatur esse dratum: Lex condemnat; interpretatione scilicet commoda mollescit, & per Metalepsin fit propositum demonstrabilius, ut si quis sensum hujus propositi sic interpretatur: recta & perfecta ratio bene & honeste vivendi eos, qui secus vivunt, injustos pronunciat, & dignos paenam judicat. Nam si quis pro eodem habeat, quod postum à principio est, & quod posterius ejus interpretatione exprimitur, si per Syllogismum probetur id, quod posterius est expositum, nempe τὸ μελαμπεσθέμενον, ex hypothesi quoque probatum erit, quod à principio ponebatur, licet extra Syllogismum sit. Iisdem verbis rem proponit Andreas Planerus Quæst. in Analyt. Prior. p. 198. 199.

XIV. Pariter si de animæ rationalis sede quæstio incidat: an sit in corde? an in sanguine? an in capite & cerebro? & in specie in glandula pineali? ut voluit Cartesius; an vero

verò in toto corpore sit tota? & ponamus; aliquem accedere velle sententiæ, quæ Aristoteli tribuitur, quòd anima rationalis secundum substantiam suam sit in corde, *libr. de mot. animal. cap. IX.* & *libr. III. de part. animal. cap. IV.* & verò ea quæstio fortè difficilior ipsi videatur probatu, pacisci poterit cum adversario, ut quæstionem illam probatam habeat, si ostensum fuerit, animam non esse totam in qualibet corporis parte. Ideoque si alter conditionem acceptaverit, τὸ εἰδῆ ἀρχῆς ex conventione transferet in μηλαμβανόμενον, idque δικτυοῦ ita probandum:

In quo anima tota est secundum substantiam, in eo quoque est secundum omnes suas potentias.

Atqui anima non est in qualibet corporis parte secundum suas potentias.

E. anima non est in qualibet corporis parte secundum suam substantiam.

Quod pacto ex hypothesi & conventione principalis quæstio huic adversario est probata, præsertim si is nihil habeat, quod in Syllogismo hoc δευτεροῦ jure desideret. Etenim hypothesis probata est hæc: Anima non est in qualibet parte corporis; hæc probatâ admittet, eam esse in corde, tanquam corporis parte determinata.

XV. Ex Aristotele quoque, & quidem I. Prior, XLIV. §. I. hoc licet addere exemplum. Si probandum sit, omnem scientiam esse contrariorum; h. e. scientiam ita res attingere & considerationi sue subjicere, ut quæ invicem contraria sunt, respiciat; Et verò hoc difficilius videatur, transferat quæstionem in aliam, v. g. Medicinam esse salubris & infalubris; sive: sanitatis & morbi; hæc autem esse contraria, idcirco Medicinam esse contrariorum. Quod ipsò verò hoc μηλαμβανόμενον est probatum, vel hypothesi factâ, quod omnium scientiarum eadem sit ratio, vel ex conventione initâ simul τὸ εἰδῆ ἀρχῆς erit probatum. Poterunt & alia singularia conferri: v. g. Physica est motus & quietis, Ethica virtutis &

vitii, Politica Reipublicæ rectæ & aberrantis, Analytica Syllogismi demonstrativi & aporetici. Et ita de reliquis. Pariter & in probanda hac quæstione: *an contrariorum eadem sit facultas?* quæ itidem attingitur I. Prior, XLIV. §. i. aut: *an omnis potentia μέση λόγος sit contrariorum*, eaque possit efficere? quam attingit IX. Met. II. & V. Τὸ εἰς ἀρχῆς poterit in hæc μεσαλαμβανόμενα transferri: Medicina est contrariorum; Rhetorica & Dialectica sunt contrariorum; I. Rhet. I. §. 36. ut his probatis & omnis facultas, & omnis potentia μέση λόγος contrariorum esse ei censeatur confirmatum, qui vel hypothesin admisit, vel conventionem init. De his verò assertionibus Aristotelis: *Contrariorum eadem est scientia; Contrariorum eadem est facultas;* ac diverso earum sensu legendus est Höppfnerus Comment. in I. Prior. cap. XLIV. p. 346. seqq.

XVI. Eodem modō si quis in ista Stoicorum sententia refutanda sit occupatus, quā virtutes scientiis annumerant, quamque Aristoteles subinde reprehendit, & verò directa τῇ εἰς ἀρχῆς probatio difficilior videatur, ea transferatur vel τῇ οὐσίᾳ, vel διὰ ὁμολογίας in hanc thesin: *Virtus non potest doceri.* Pro hac confirmanda si ista usus fuerit ratione: quod virtus non versetur circa verum & falsum; aut quod ea non aliter, quām moribus ac consuetudine paretur; directè quidem τῷ μεταλαμβανόμενῳ confirmaverit, indirectè autem & τῇ οὐσίᾳ id, de quo principaliter erat quæstio, nempe: virtutes non esse scientias; planum fecerit.

XVII. Exeat etiam probationis μέση μεσαλαμψία exemplum lib. II. de Cœlo cap. XI. t. 59. quod & Antonius Scaynus l. c. attigit, ubi Philosophus probat: omnes stellas habere sphæricam figuram; facta translatione ad Lunam, idque propter similitudinem, quod omnes stellæ similis sint figuræ. Ostendit autem *Scaynus*, lunam habere sphæricam figuram, quandoquidem lumen ejus uti in orbem crescit, ita & in orbem minuitur. Erit itaque hæc probandi ratio:

Quæcunque stella non simul & semel tota illuminatur, sed in orbem lumine crescit & minuitur, ea sphæricam sive rotundam habet figuram. Atqui

Atqui Luna est stella, quæ non simul & semel tota illumi-
natur, sed in orbem lumine crescit & minuitur.

E. Luna sphæricam sive rotundam habet figuram.

Hic Syllogismus ratione minus principalis & per μελαλητὴν ac-
ceptæ quæstionis est δεικτὸς, at verò ratione principalis quæ-
stionis initio propositæ hypotheticus est. Hypothesin autem
indicat Aristoteles l. c. εἰς ἔπειρος ἐστιν ἐν τοιότητοι, δῆλον, ὅπῃ τὰλαι
ἀντὶ ἔπειρος εἶναι. Quare si stella una est tali, patet & ceteras o-
mnes rotundas esse. Vid. Conimbricens. ad l. c. Add. Neldelius
l. c. p. 47. Höppfnerus l. c. p. 192. Dn. Hedio l. c. p. 221. & in
Dialect. lib. I. p. 148.

XIIX. Eodem modō si probandum sit: *Corpus naturale*
posse in pluribus locis simul esse, saltem per omnipotentiam divinam;
& verò hæc probatio videatur non nihil difficilior, licebit
eam in aliam quæstionem tanquam in μελαλαμβανόμενον trans-
ferre, hanc nimirum: *corpus Christi*, quod utique naturale
est, *esse in pluribus locis*, etiam longissimè à se distantibus, in qui-
bus videlicet eodem tempore sacra administratur Cœna,
realiter *esse præsens*. Quod si itaque is, quocum agimus, huc
descendat, se principalem quæstionem probatam esse agnitu-
rum, si altera minus principalis fuerit confirmata, Syllogi-
smus κατὰ μετάλητὴν erit confessus, qui τὸ μελαλαμβανόμενον δεικτ-
ὸς quidem hōc modō probet:

Quodcunque secundum institutionem ac promissionem
Domini in diversis locis, (in quibus S. Cœna eō-
dem tempore peragitur,) ore corporis accipitur
& comeditur, id in diversis illis locis simul rea-
liter est præsens.

Atqui naturale corpus Christi secundum institutionem
& promissionem Domini in diversis locis ore cor-
poris accipitur & comeditur; ceu constat ex ver-
bis Institutionis: *Accipite, comedite: Hoc est cor-*
pus meum; & ex verbis Paulinis, quibus *Panem,*
quem frangimus, non ipsum corpus Domini, sed
novorum corporis Domini vocat I. Cor. X. 16.

E. naturale corpus Christi in diversis locis simul realiter
est præsens.

Quod ipsò verò hæc quæstio minus principalis ~~de~~ ^{de} ipsius est pro-
bata, eð ipsò etiam vel nudâ hypothesi, vel s' ~~de~~ ^{de} ipsius
principalis quæstio erit confirmata. Conf. Scheibler.
Oper. Log. part. IV. Tractat. de Syllog. cap. XIII. Tit. VII.
n. 13.

XIX. Nec minus orthodoxam Ecclesiæ de infantum
baptismo contra adversarios tueri licebit, non solùm directâ ar-
gumentatione quæstionem principalem ~~de~~ ^{de} ipsius probante, sed
& indirecte & ~~de~~ ^{de} ipsius. Scilicet notum est, veteres Pelagia-
nos peccatum originis negâsse. Parvulos negant secundum Ad-
dam carnaliter natos contagium mortis antiqua primâ nativitate
contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo afferunt
nasci, ut proflus non sit, quod eis oporteat secundâ nativitate di-
mitti; ut docet S. Augustinus librò de Hæresl. ad Quod vult
Deum cap. XXCIX. cùmque rimam quererent, quâ potuerit
intrare peccatum, Augustinus libr. III. contra Julianum eos
ad verba Apostoli Rom. V. 12. remittit, dicens, *Apostolum
ipiss non rimam, sed apertissimam januam ostendere his verbis: Per
unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum
mors, & ita mors in omnes homines pertransiit.*

XX. Neque verò solùm Scripturæ dictis contra Pela-
gianos pugnavit Ecclesia, verùm etiam aliis argumentis hæ-
resin illam expugnare fategit. Remisit enim Pelagianos ad
experientiam, ostendens, etiam infantes morti fieri obnoxios;
cùm autem mors sit *infânia m̄s àuptias*, *stipendia & poena
peccati*, Rom. VI. 23. utique in infantibus quoque esse cau-
sam mortis, cùm omnem poenam culpa præcedat; culpam
autem illam non esse actualē, ideoque originalem; & per
consequens infantes, imò omnes homines, peccati originalis
labe esse infectos. Porrò Ecclesia ut hunc quoque errorem
Pelagianorum retunderet, sicuti ante exortam istam hæresin,
ita & deinceps in confessionem articuli fidei de remissione
peccatorum, infantes baptizavit. Cùm igitur Baptismus sit
in re.

in remissionem peccatorum, uti patet ex Actor. II. 38. XXII.
16. Ecclesia inde indicium capi voluit, infantibus adhærere
labem peccati, & quidem originalis, cuius remissione in-
digeant.

XXI. Hinc Irenæus libr. I. cap. XXXIX. *Per Christum*
renascuntur etiam infantes. Origenes in cap. II. Epist. ad Rom.
Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis baptismum
dare. S. Cyprianus lib. III. Epist. IX. ad Foedum Presbyter-
rum, *infantem intra secundum tertiumve, à quo natus est, diem bapti-*
zandum duxit. S. Augustinus contra Donatistas libr. IV. cap.
XXIII. *Universitas Ecclesia tenet, parvulos infantes baptizandos*
esse. Et libr. de Genes. ad lit. cap. XXIII. *Consuetudo matris*
Ecclesia in baptizandis parvulis nequaquam sphenenda est, ---- nec
omnino credenda, nisi Apostolica traditio esset. Unde Pelagianis
intorquendum est ejusdem Augustini dictum ex Epist. ad Ja-
nuarium: *Disputare contra id, quod tota frequentat Ecclesia, in-*
solentissima est insania.

XXII. Elidere nihilominus ista argumenta annisus est
Pelagius cum suis affecclis. Et quidem quod dictum Rom.
V. 12. attinet, dixit, peccatum intrasse in mundum noſ-
uic̄oſ ac propagatione, verū ũniuersi, imitatione. At quām
falsum hoc sit, vel ex ¶. seqv. 14. patet, ubi dicitur, mortem
in eos quoque regnare, qui non peccarint ad similitudinem transgres-
sionis Adam. Id quod de infantibus omnino est accipien-
dum. Et porrò recte S. Augustinus libr. I. de Peccatorum
meritis cap. IX. Si Apostolus peccatum illud commemorare volu-
isset, quod in hunc mundum non propagatione, sed imitatione intra-
verit, ejus principium non Adam, sed Diabolus diceret, de quo
scriptum est: Ab initio Diabolus peccat. I. Joh. III. 8.

XXIII. Alterum ut elidere possent Pelagiani, finge-
bant, mortem temporalem esse ex necessitate naturæ, nec
propter peccatum Protoplasmorum in genus humanum reduc-
dasse, imò Adamū ipsum, etiamsi non peccasset, nihilominus na-
turæ necessitate fuisse moriturum. Testatur id Autor Hypogno-
stic̄ in Prologo: *Adam, inquit Pelagiani, sive peccasset, sive*
non

non peccasset, moriturum fuisse. Et Augustinus de Hæres. I. c.
Ipsum Adam dicunt, si non peccasset, fuisse corpore moriturum, ne-
que mortuum meritò culpa, sed conditione naturæ. Et rursus
lib. I. de peccat. mer. & remiss. cap. II. Adam dicunt Pelagiani sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur, non pœna
culpa, sed necessitate naturæ. Et iterum contra Julian. Epistol.
LXVI. Mortem non vis ex peccato in omnes originaliter trans-
tam, ne cogaris fateri, simul eriam originaliter transisse peccatum.
Sentiis quippe, quam iniquum sit sine merito transisse peccatum. Sen-
tis quippe, quam iniquum sit sine merito transisse supplicium. Imò
ulterius ex orthodoxorum doctrinâ absurdum securum esse
contendebant, causati, Deum hōc pactō injustum fieri, dum
hominibus remittat propria peccata, aliena autem, Adami
nempe peccata, imputet; quas ipsius Pelagii voces ex Exposit.
Epist. ad Roman. citat Augustinus lib. III. de Peccator. meri-
tis & remiss. cap. III.

XXIV. Sed statum imaginis divinæ homini, qui se-
cundum naturam mortalis erat, eam conditionem attulisse, ut
potuerit non mori, ex Genes. II. 17. & III. 22. colligitur. Unde
adeò Patres Concilii Milevitani cap. I. anathema dixerunt ei,
quicunque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum id,
ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est,
de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturæ. In ean-
dem rem quoque Augustinus libr. I. de peccator. mer. & remiss.
cap. II. Quamvis Adam secundum corpus terra esset, & corpus,
in quo creatus est, animale gestaret, tamen si non peccasset, in corpus
spirituale fuerat mutandus, & in illam incorruptionem, qua fide-
libus sanctis promittitur (I. Cor. XV. 42. 44. 52.) sine moris peri-
culo transfuturus. Et infra cap. XI. Proinde si non peccasset A-
dam, non erat expoliandus corpore, sed supervestiendus immorta-
litate & incorruptione, ut absorberetur mortale à vita, id est, ab
animali in spirituale transiret. Conf. II. Cor. V. 1. 2. 3.

XXV. Circa Ecclesiæ verò praxin, secundum quam
infantibus quoque Baptismus conferebatur, Pelagianis aqua
videbatur hærere. Etenim neque Apostolicæ traditioni, ne-
que

que totius Ecclesiæ praxi poterant refragari. Hinc retinebant parvorum Baptismum, imò nec à formula Baptismi in Ecclesia usitata, quâ in remissionem peccatorum Baptismus administrabatur, abstinebant, sed eâdem formulâ parvulis, quâ adultis, illum conferebant. *Baptisma unum teneamus, quod iisdem sacramenti verbis infantibus, quibus etiam in majoribus, dicimus esse celebrandum;* sunt verba Pelagii in Confessione fidei suæ. Et quidem duplicum Baptismi infantum constituebant finem, alterum in ordine ad hanc vitam, qui esset adoptio in statum filiorum Dei, quales nondum erant, licet nec propterea essent filii iræ; alterum in ordine ad alterum vitam, qui esset adeptio regni cœlorum. Sicut ergo in hac vita medium statum inter statum iræ & statum adoptionis sive filiorum Dei fingeabant, qui ad utrumque negativè sese haberet, ita in ordine ad alteram vitam præter statum damnationis & regnum cœlestis medium fingeabant statum salutis & beatitudinis, quod statu digni essent, qui reliquis duobus essent indigni.

XXVI. Et quidem de statu adoptionis Pelagianos locutos esse testatur Augustinus libr. IV. contra duas Pelagiani Epistolas cap. II. *Omnibus statibus dicunt esse Baptismum necessarium, ut scilicet illa creatura in Dei filios adoptetur, non quod aliquid ex parentibus trahat, quod sit lavacrum regenerationis expandum.* De statu, quem inter damnationem & regnum cœlorum medium fingeabant Pelagiani, ita Augustinus loquitur libr. II. imperfecti operis contra Julian. *Facitis duas aternas felicitates: unam, qua sit in regno Dei, alteram, qua sit extra regnum DEI.* Quod autem non propter salutem eternam, sed propter regnum DEI consequendum infantes baptismò tingendos esse Pelagiani statuerint, atque verbis Joh. III. 5. eum in finem sint abusi, iterum sic indicat Augustinus libr. I. contra duas Pelagiani Epistolas cap. XXII. *Secundum Pelagium hereticum dicitis, parvulis baptismum necessarium, non propter remissionem peccatorum, sed tantummodo propter regnum cœlorum.* Datis enim eis extra regnum Dei locum salutis & vita

C

eterna,

eterna, etiam si non fuerint baptizati. Et Sermon. XIV. de verbiis Apostoli: Baptizandos esse infantes nemo dubitet, quando nec illi hinc dubitant, qui ex parte aliqua hic contradicunt. Sed nec eos dicimus aliter salutem & vitam eternam non habituros, nisi baptizatos in Christo, juxta Servatoris dictum Marc. XVI. 16. Illi autem dicunt, non propter salutem, non propter vitam aeternam, sed propter regnum cœlorum. Idem Augustinus libr. de Haeret. ad Quod vult Deum cap. XXCIX. Dicunt Pelagiani parvulos propere baptizari, ut generatione adoptati admittantur ad regnum DEI, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam etiam si baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen aeternam & beatam quandam vitam suam.

XXVII. Constringebantur interim Baptismi formulæ, quæ in Ecclesia erat usitata, adeò quidem, ut Pelagius in libello fidei suæ fassus sit, se Baptisma unum tenere, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, dicat celebrandum esse. Istæ vero formulæ Baptismum in remissionem peccatorum fieri indicabat. Nam aliás falsa & fallax parvulis traduceretur baptismatis forma, in qua sonaret, quod utique agi videtur, & tamen nulla fieret remissio peccatorum: Inquit Augustinus libr. I. de peccator. merit. & remiss. cap. XXXIV. Et rursus: Intuendo Scripturas, & autoritatem totius Ecclesie, & formam ipsius Sacramenti, bene viderunt, in parvulis fieri remissionem peccatorum. Quin & haec argumentatio Coelestium, eo adegit, ut per Baptismum Christi etiam parvolorum fieri redemtionem libellò suo in Carthaginensi Ecclesia jam confessus sit: ut Concilii Carthaginensis Patres ad Innocentium I. scripserunt. Cujus rei meminit quoque Augustinus libr. II. contra Pelag. & Coelestium, qui est de Peccato Originali, cap. V. ubi dicit, Coelestium in libello, quem Romæ ediderit, fateri coactum, infantes baptizari in remissionem peccatorum secundum regulam universalis Ecclesie & secundum Evangelii sententiam. Idem attingit sequ. cap. XIX. nec non in Epist. XXCIX. ad Hilarium, ubi inter alia sic inquit: Coactus est Coelestius confitens propter

propter baptizandos parvulos, quod & ipsis redemptio sit necessaria.
Ubi quanquam noluerit de originali peccato aliquid expressius dicere,
tamen ipso redemtionis nomine non parum sibi prescripsit. Unde
enim redimendi sunt, nisi a Diaboli potestate, in qua esse non pos-
sent, nisi originalis obligatione peccati? aut quod preiō redimantur,
nisi Christi sanguine, de quo apertissime scriptum est, quod sit in
remissionem. Benè porro Augustinus libr. I. de Nupt. & Con-
cupisc. cap. V. In iis ergo, qui regenerantur in Christo, cum re-
missionem accipiunt omnium peccatorum, utique necesse est, ut
reatus etiam hujus, licet adhuc manentis, concupiscentia remittatur,
ut in peccatum non imputetur.

XXIX. Atque hinc etiam Milevitanum Concilium
hoc statuit capitulum secundum: Placuit, ut quicunque par-
vulos recentes ab utro matrum baptizandos negat, aut dicit, in re-
missionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam
trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacō expietur,
unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis: in remissionem
peccatorum; non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quo-
niam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus Rom. V. 12. Per
unum hominem peccatum intravit in mundum, & per pecca-
tum mors, & ita mors in omnes homines pertransiit, in quo o-
mnes peccaverunt; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica, ubiq^z
diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvu-
li, qui nihil peccatorum in semet ipsis adhuc committere potuerunt,
ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in iis re-
generatione mundetur, quod generatione traxerunt.

XXIX. Sed fatis dictum est de Pelagianis, qui qui-
dem unanimiter perhibuerunt, homines non nasci cum a-
liquo peccato propriè dicto, ac propterea vel baptismū non
indigere, vel si baptismū tingantur, eum tamen in remissio-
nenem peccatorum non conferri. Hypothesin illam Pelagia-
norum superiori seculō ex parte recoixerunt Anabaptistæ,
quorum quamvis innumerabilia penè sint dogmata, & quidem in-
ter se dissidentia, ceu de iis in peculiari Epistola anno 1566.
ad Ecclesiam Gallicanam Embdensem nomine Ecclesiæ Gene-
vensis scripsit Theodorus Beza, eorum tamen plerosque tollere pec-
catum

eatum originis, scripsit Philippus Melanchton Tom. II. Consil. p. 166. ubi de Infantum Baptismo agit. Ex quo colligebant, Baptismum infantibus non esse conferendum, aut si illis collatus sit, non habere effectum regenerationis in remissionem peccatorum & salutem æternam. Unde Jacobus Cautius inter Theses suas Wormatiæ anno 1527. propositas hanc tertiam voluit esse: *Padobaptismus non est à DEO, sed directe contra DELLM & DEI doctrinam per JESUM Christum filium ejus nobis propositam.* Factum hinc, ut Anabaptistæ eos, quos in infantia baptizatos cœtibus suis aggregabant, rebaptizârint. Quod ipsò tamen videri noluerunt Baptismum iterare, sed quodd priorem Baptismum illegitimum, imd ex sua sententia nullum existimarent, eundem primum conferri perhibuerunt. Vid. Joh. Hornbeckii Summa Controvers. Relig. Christianæ p. 342. 365. nec non Frid. Spanhemii Elenchus Controversiar. de Relig. p. 86.

XXX. Sociniani sicuti pariter in ea sunt sententia, doctrinam de Peccato Originis *rectificatione*, & *Scriptura Sacra* adversari, uti constat ex Joh. Volkelii libr. V. de Vera Religione cap. XII. p. 547. 548. ita etiam Baptismum *istum nullius momenti esse censem*, si quis in *infancia baptizatus sit more bodie inter Christianos recipit*; ut J. L. Wolzogenius, Baro Austriacus, ad Marc. XVI. 16. loquitur, Catechismo quidem Racoviensi conformiter, utpote in quo cap. IV. non procul ab initio assertur, daß die unmündigen Kinder zu denen Ceremonien. (quorum etiam Baptismum referunt.) nicht gehören: denn wir haben davon wider Gebot noch Exempel in H. Schrift; zu deme weiset die Sache selber aus, daß Sie Christum für ihren HErrn und Seilmacher nicht erkennen können. Ad eundem modum Valentinus Smalcius in Refut. Thes. Wolfgangi Franzii p. 310. *Etiam si tandem Christus precepisset aquâ baptizare: nimis tamen puerile esset, puerorum baptismi institutionem Christo adscribere, cuius Evangelium ad soloseos, qui ad fidem (qua est per auditum verbi Dei,) apti sunt, pertinet.*

XXXI. Cui rei praxis ipsorum Socinianorum respondeat, adeò, ut Autor Epistolæ de vita Andreæ Wissowatii,
que

quæ Bibliothecæ Anti-Trinitariorum est subjuncta, p. 225.
conqueratur, Socinianos Anabaptistarum, seu Novo-baptizatorum
titulum inde nascere esse, quod non, ut vulgo moris est, infantes, sed
adultos fidei, capaces, sacrò hoc riu initiant: eos non aspergendo,
profundendove, sed secundum Domini mandatum, primi riuq; Ec-
clesia praxin, ad sepultura typum exprimendum baptisando seu
mergendo. Et in Vindiciis à Stanislao Lubienicio pro Uni-
tariorum in Polonia Religionis libertate conscriptis p. 276.
confitentur, se baptizatos, ut vetus formula habet, in nomen
mittentis Patris, venientis Filii, & testantis Paracleti. Hoc
pacto Georgius Schomannus in Testamento ultimæ suæ vo-
luntatis, quod libro citato subjunctum est, scribit, anno 1562.
15. Januarii in aurora natum sibi esse filium primogenitum Paulum,
qui baptizatus sit infans, se suisq; adhuc de vero baptismo ignoran-
tibus. At verò anno 1564. Jan. 22. sole oriō natam sibi esse filiam in
Xianz, quæ non sit baptizata infans, quia ipse jam didicerat
& docebat, Padobaptismum esse humanum, non divinum, man-
datum. Addit: Annō 1572. ultimō Augusti se atavis 42. bapti-
zatum esse Chmielnicia in Christi nomine; nec non anno 1574. pri-
mā Augusti matrem uxoris sua baptizatam esse Chmielnicia. Vid.
libr. cit. p. 194. 195. Interim tamen monet Stephanus Lu-
bienicus l.c. p. 268. in Notis ad Vindicias: Baptismum Cate-
chumenorum, id est, in fide Christiana institutorum & Symbolum
Apostolicum profidentium, idq; per totius corporis in aquam mersa-
tionem, prout ipsi (Sociniani) faciunt, auctoritate Sacra Scri-
ptura & Veteris Ecclesie praxi à suis confirmari: & Unitarios fra-
tres (Socinianos) in infantia baptizatos ad iterandum Baptismum
non cogere.

XXXII. A Socinianis transeundum est ad Arminia-
nos sive Remonstrantes, qui sicuti in infantibus nullum proprie-
dictum peccatum agnoscunt, Vid. Philipp. à Limborg Theol.
Christian. lib. V. cap. LXIX. §. 12. ita & sententiam, quâ
statuitur, primum Adami & Eve peccatum esse omnium postero-
rum peccatum, omneq; in Adamo peccasse, & propterea mortis ac
condemnationis eterna reos esse factos, impugnare satagunt. Lim-
borch.

borch. libr. III, cap. III, §. IIIX. Hinc & mortem dicunt non habere ex se rationem pœnae propriæ dictæ in posteris Adami : fieri enim non posse , ut infantes propter alterius peccatum puniantur , sed esse eam naturalem tantum moriendi necessitatem ab Adamo mortis pœnâ punito in ipsos derivatam. ibid. §. I. & XVI. Neg , enim posteros Adami obligatos fuisse ad supernaturale illud donum imaginis divinæ habendum , quod jam Adamus amiserat. ibid. §. V. Atque hinc de infantum Baptismo censem , quamvis ille nuspian à Christo , nec ab Apostolis sit præceptus , neque ulla ejus exemplum ex Scriptura Sacra proferri posse , unde indubitate constet , infantes ab Apostolis baptizatos fuisse , sed hoc demum tertio vel quartò seculō introductum fuisse , licitum tamen eum esse , atq , pie ac decenter infantibus administrari posse , attamen necessum hanc esse , baptismum in infantibus designare (multò minus actu ipsò conferre) ablutionem (remissionem) peccatorum , (qualia in infantibus non sint ,) multò minus fidem in iisdem accendere : non levī enim laborare absurditate , quod externa Baptissimæ ceremonia omnia peccata præcedentia eorumque reatum deleat & actu tollat , & ridiculum censi debere , externam quandam ceremoniam supernaturalem virtutem (fidei habitum) & quidem momentō , in animo producere ; possit tamen eundem denotare obligationem ad vitæ sanctimoniam sine expressa denotatione ablutionis peccati , ut ut fortè ejus signum sit , quod cum re signata arctissimam habeat cognitionem , dum baptismō testemur , nos peccatis valedicere & renunciare ; sicuti ex parte Dei posse denotare ob-signationem promissionis vita eterna , sine expressa significazione remissionis peccatorum ; quæ addultis propria . Hæc Limborchius libr. III. Theol. Christ. cap. III. §. 20. & libr. V. cap. LXIX. §. II. 12.

XXXIII. Ex dictis constat , nonnullos infantibus baptismum vel prorsus negare , vel si iisdem collatus sit , inutilē reputare , vel saltem eum non conferri in ablutionem & remissionem peccatorum . Quæ tamen sententiae omnes ex falsa hac hypothesi fluunt , quod homines communi modō nati non habeant peccatum , quod originale solet vocari . Quod si ergo quis vel contra Veteres Pelagianos , vel con-

tra

tra Anabaptistas, vel contra Socinianos, aut etiam Re-
monstrantes tueri velit: infantibus non solum conferendum
esse baptismum, sed & collatum ipsis in remissionem peccatorum
cedere: & verò ob adversariorum pertinaciam τὸ δέ εἴτε ἀρχής
probatu nonnihil videatur esse operosius, probationem lice-
bit transferre ήτο μαλαριβανόμενον, quodcum ήτο εἴτε ὁρχῆς cohæ-
reat, atque ex eo vel ex natura sua, adeoque εἴτε ὑποθέσεως, vel
δ' ὄμοιογες & ex adversariorum concessione δι' ἀνάγκης sequat-
ur. Erit itaq; hoc μαλαριβανόμενον probandum: Infantes, imd
omnes posteros Adami secundum naturam genitos, nasci cum
peccato, propter quod æternæ damnationis reatus eos pre-
mat.

XXXIV. Non infeliciter autem hoc negotium su-
cepturus est, qui Scripturæ Sacrae loca huc pertinentia se-
cundum fideli analogiam expenderit. Quod si enim loca
Joh. III. 3. 5. 6. 7. Eph. II. 3. 8. evolvantur, statim nascetur hæc
probandi ratio:

Quicunque ita nascitur caro de carne, h. e. peccator de
peccatore, ut naturā h. e. ab origine sua sit filius iræ
& damnationis æternæ reus, ac propterea ad hanc evi-
tandam, salutem autem æternam consequendam indi-
get regeneratione ex aqua & spiritu, ille omnino natu-
rā h. e. à prima sui origine habet peccatum & ἀρούριαν.

Atqui Omnis homo ita nascitur caro de carne, h. e. pec-
cator de peccatore, ut naturā h. e. ab origine sua sit
filius iræ, damnationisque æternæ reus, ac propterea ad
hanc evitandam, salutem autem æternam consequen-
dam indiget regeneratione ex aqua & spiritu.

E. Omnis homo naturā h. e. à prima sui origine habet pec-
catum & ἀρούρια.

Major ex se est evidens, quia extra gratiæ divinæ statum
nihil hominem collocat, nisi peccatum, nec aliud quicquam
est, cui Deus irascatur, nisi peccatum. Quod si igitur Deus ho-
mini

mini iratus est, eidem propter peccatum indignatur. Minoris partes singulas Scriptura Sacra evidenter confirmat. Et quidem de universalitate ejus saltem hoc testatur, quod secundum Scripturas nemo ex peccatorum ordine eximatur, praeterquam Christus. Hic enim cum non ex libidine carnis, neq; ex libidine viri, sed ex Spiritu Sancto sit genitus: quod enim in ea (Maria) genitum est, ex Spiritu Sancto est, & quod ex ea natum est sanctum, vocatur (revera est) Filius DEI. Joh. I. 13. Matth. I. 20. Luc. I. 35. Unde & pius, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus appellatur Hebr. VII. 27. Porro probatio Minoris latet in verbis Servatoris Joh. III. 6. Quod genitum est ex carne, caro est: & quod genitum est ex Spiritu, spiritus est. Eph. II. 3. Naturam eramus filii ira, sicuti & reliqui. Rom. XI. 32. Conclusit DEVS omnes eis dñe, in contumaciam, ut omnium misereretur. Ulterius probatur Minor quoad reliquam sui partem ex Joh. III. 3. Amen, amen, dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuo, non potest videre regnum DEI. Et v. 5. Amen, amen, dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum DEI. Et v. 7. Ne mireris, me dixisse tibi: oportet vos gigni denuo.

XXXV. Atque ita τὸ μέλανθρανίου & quæstio minus principalis directè & δειπνοῦ fuit probata. Quod ipsò etiam ἐξ ὑπόθεσεως, imo & δι' ἀμολοχίας quæstio principalis (τὸ ἐξ ἀρχῆς) hōc καὶ μέλανθραν adhibitò Syllogismò adversario est confirmata. Idem μέλανθρανίου etiam ex eo δειπνοῦ probari potest, quod & peccatum, & hujus poena, nempe mors, pertransisse dicatur in mundum, inquit omnes homines, etiam in eos, qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adam, h. e. in infantes. Rom. V. 12. 14. Quod per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sint multi (h. e. omnes,) ut per unius obedientiam justi constituerentur multi (h. e. omnes.) ibid. v. 19. Quod omnes peccarint (verbō activō non solum actum, sed & habitum, ac quod per modum habitū sese habet, denotante,) ac destituantur gloriā DEI. Rom. III. 23. At verò hoc ipsum ex instituto agere non est præsentis negotii.

XXXVI,

XXXVI. Interim non inconsultum ducimus monere,
adhuc aliò modò ~~regla~~ ~~adversarios~~ infantibus bapti-
sum deuegantes, posse constringi. Scilicet cùm res in hanc
quæstionem delata sit: *omnem hominem nasci cum peccato*, quod
est originis peccatum; & verò hæc universalis conclusio,
quæ simul affirmans est, adhuc probatu non nihil videatur
difficilior: sicuti & Aristoteles I. Prior. XXVI. §. 3. agnoscit,
universale attributum difficillime adstrui, facillime autem everti
posse; contrà autem ad confirmandum faciliora esse *zählba* parti-
cularia: quia & in pluribus figuris, & per plures modos confirmantur,
quam universalia; licebit cum adversario pacisci, ut
universalem hanc conclusionem, tanquam probatam, agno-
scere velit, si quod de subiecto universaliter fuerat prædi-
catum, vel uni saltē singulari inesse ostensum fuerit.
Quod si acceptet adversarius, licebit ei Davidis, *hominis il-*
lius DEI, II. Paral. IX. 14. *viri secundum cor & voluntatem*
Domini I. Sam. XIII. 14. Actor. XIII. 22. exemplum propo-
nere, h. m.

Quicunque in peccato fuit conceptus, ei naturâ & ab or-
tu adhæret peccatum.

Atqui David in peccato fuit conceptus.

E. Davidi naturâ & ab ortu adhæret peccatum.

Minor constat ex Psalm. LI. 7. ubi David coram Deo hanc
edit confessionem: *Ecce! in iniquitatibus conceptus sum, & in*
peccato calefacta est de me mater mea. Conclusio hæc singula-
ris est ~~μάλαυθερβιον~~, attamen remotius, δ' ὁμοίως autem
faciens ad ~~μάλαυθερβιον~~ proximioris, quod est universalis
hæc assertio: *O. homo cum peccato nascitur*; sive: *Omni homini*
naturâ & ab ortu suo adhæret peccatum; ultimò autem ad quæ-
stionis principalis confirmationem. Etenim τὸ ~~μάλαυθερβιον~~
conclusioni principali proximius secundum pæctum ini-
tum per Inductionem imperfectam ad modum Syllogistici
Exemplaris formandam ex singulari illa h. m. sequitur:

D

Davidi

Davidi naturâ & ab ortu suo adhæret peccatum.

David est homo.

E. Omni homini naturâ & ab ortu suo adhæret peccatum.

XXXVII. Atque ita patet, quomodo in controversia de Pædobaptismo Syllogismô *καὶ μελάνην* contra adversarium convenienter uti liceat. Simul etiam apparuit, quâ ratione quæstionis universalis probationem in quæstionem vel particularem, vel singularem transferre liceat. Cujus rei aliud exemplum ex Röm. IV. non inutiliter huc transferetur. Scilicet cap. præced. III. hoc egerat Apostolus, ut ostenderet, neminem hominum apud Deum justificari aut apud eundem peccatorum remissionem impetrare per legis opera. sed omnes cum Deo in gratiam redeentes, sive Ju-dæi sint, sive Græci, ex fide (*ἐκ πίστεως*, sive, *διὰ πίστεως*) justificari, atque adeò fidem in ordine ad justificationem causæ impulsivæ, ceu Bellarminus quoque libr. I. de Justificat. cap. X. agnoscere cogitur, quamvis non principalis, sed potius minus principalis, rationem habere. Vid. Röm. III. 20. 28. Hujus verò quæstionis ulteriorem probationem sequi, cap. IV. in hanc singularem: *Abraham justificatus est fide circa legis opera; καὶ μελάνην* transfert: idque propterea, quia quæ est ratio justificationis in uno, eadem quoque in reliquis omnibus est futura. Quæ *ὑπόθεσις* vel simpliciter, vel *τὸ ὑποθέσιος* assumta fundata est in loco Actor. XV. II. Conf. Röm. IV. 23. 24. 25.

XXXIX. Abrahamum verò ex fide justificatum esse, non unâ ratione confirmat Apostolus Röm. IV. inter alia ita argumentatus:

Quicunque non ex operibus justificatur, ille justificatur ex fide.

Atqui Abraham non fuit justificatus ex operibus.

E. Abraham justificatus fuit ex fide.

Major ex duplicitis pacti à Deo cum hominibus initi ratione est

est manifesta: siquidem pacti legalis ratio exactam legis im-
pletionem requirit, pactum autem Evangelicum fidem in me-
ritum Christi reponendam exigit. Unde adeo licet propter
nominis apud Iudeos reverentiam fides & lex vocetur, ceu ad
l. c. Theophylactus loquitur, quando tamen de causa justificationis
impulsiva ex parte hominum sermo est, opera legis
fidei ita opponuntur, ut sicuti hoc pacto medium non admit-
tunt, ita etiam unum horum mediorum alterum sufficienter
excludat. Pugnam, ait Chrysostomus, inter fidem & opera in-
stuit Apostolus, *luctamq; universam circa justum hic sistit*. Mi-
norem autem Apostolus Rom. IV. 1. 2. ita confirmat: *Quid
igitur dicemus, Abrahamum patrem nostrum adeptum esse justi-
tiā secundum carnem?* h. e. ut Apostolus se ipsum exponit,
& Theodoretus agnoscit, ex operibus legis? *Nam si Abra-
ham ex operibus justificatus fuit, habet quod gloriatur, coram homini-
bus quidem, sive in presenti iudicio*, ut Ambrosius loquitur.
est non coram DEO, utpote apud quem justitia ipsi propter
meritum Christi ex gratia est imputata. Unde oritur Pro-
Syllogismus ad Minorem:

Quicunque justificatur ex operibus legis, non habet glo-
riam apud Deum.

Atqui Abraham habet gloriam apud Deum.

E. Abraham non est justificatus ex operibus legis.

Minor inde constat, quia justitia Abrahamo ex gratia fuit
imputata, ita quidem ut *amicus DEI* II. Paral. XX. 7. Esa. XLI.
8. Jacob. II. 23. & *pater credentium*, cui in semine suo gentes
in hereditatem sint datae, vocatus fuit. Rom. IV. 13. Hebr. I. 2.

XXXIX. Porro μελλαμβανουσι illud: *Abrahamum fide
esse justificatum*; Apostolus Scripturæ Sacræ testimoniō con-
firmat. Etenim Rom. IV. 3. allegat verba ex Genes. XV. 6.
*Quid enim Scriptura dicit: Credidit Abraham Deo, quod in se-
mine suo h. e. Messia benedictionem consecuturi sint omnes
in illum credentes;* & *imputatum est ei pro justitia*, idque ex
gratia; sive Abrahamo credenti, nihil autem operibus suis
merenti

merenti fides in remissionem peccatorum est imputata; sive, merita & justitia Messie fide apprehensa Abrahamo tale quid operibus suis non promerenti propter fidem ita fuerunt imputata, ac si ab ipso essent praestita. Conf. Gal. III. 6. Jacob. II. 23.

XL. Pergit Apostolus v. 4. 5. in confirmatione istius questionis h. m.

Cuicunque merces (vita æterna primùm in spe, deinceps in re) ex gratia obtingit, is mercedem illam non suis operibus, sed fidei debet acceptam ferre.

Atqui Abraham merces (vita æterna, primùm in spe, deinceps in re) obtigit ex gratia.

E. Abrahamus mercedem illam non suis operibus, sed fidei acceptam referre debet.

Majorem secundum oppositionem fidei & operum his verbis proponit Apostolus v. 4. & 5. Atqui ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito. Ei vero, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia. Minorem ex Mose Genes. XV. 6. confirmationem, ubi dicitur: Credidit Abraham DEO, & imputatum est ei pro justitia; ulterius testimonio Davidis roborat ex Psalm. XXXII. 1. quippe qui eum (qualis Abraham erat) beatum praedicat, cui Deus justitiam imputat absque operibus. v. 6. sive: cui remittit iniquitates & regit (הַסְכִּים) est supernè aliquid imponendo operire, ne conspiciatur, peccata. Quid autem est, DEVIT regere, nec videra peccata, quam non punire? inquit Augustinus. Atque ita tanquam iudicium Apostolus indifferenter accipit haec loquendi genera: Imputari fidem ad justitiam; justitiam sine operibus imputari. Item non imputare peccata, teger peccata, remittere peccata.

XLI. Sed & hoc observandum, Judæos circumsisioni, tanquam operi præ ceteris insigniori, & longè sanctiori justificationem tribuisse, eandemque ob causam Pseudo-Apostolos eandem deinceps ursisse. Actor. XV. 1. 5. At verò indicat

indicat Apostolus, Abrahamum etiam ante susceptam circumcisionem, imò & ante legem solenniter promulgatam fuisse justificatum; ideoque justificationem ipsius non fuisse ex lege, aut ex operibus legis, sed ex fide. Vid. Rom. IV. 9. 10.
11. Imò pergit docere: sicuti promissio hæreditatis mundi Abrahamo & semini ejus per legem non obtigit, sed potius per fidem; ita & justitiam eidem non per legem, sed potius per fidem evenisse. Rom. VI. 13. 16. 17. Quod autem illa promissio & justitia non ex lege fuerit, inde probat, quia alias futurum esset, ut fides redderetur vana, & promissio irrita. Rom. IV. 14. & porrò lex potius iram operetur, homines coram judicio Dei accusando, iraque divinæ ac maledictionis reos esse convincendo. Ex fide igitur est hæreditas, ita ut sit per gratiam, non autem ex operum meritis. Vid. Cornel. Martin. de Analysis Formæ cap. XII.

XLII. Atque ita apparet, quâ ratione Apostolus questionis universalis, cuius probationem suscepit, confirmationem in μελανθαρόνερ singulare vel δειλινός, vel καλά τὸ ἀδύτον demonstrandum transferat. Simile quid animadvertisit in disceptatione à Christo Servatore de mortuorum resurrectione cum Sadducæis instituta. Matth. XXII. 23 --- 27. Luc. XX. 27 --- 40. Non solum autem Christus Sadducæorum dubitationi satis fecit, sed & mortuorum resurrectionem contra eos adstruxit. Status igitur controversiae erat de mortuorum resurrectione, Matth. XXI. 31. quam Sadducæi negabant. Conf. Aëtor. XXIII. 8. Cùm enim Antigonus Sochæus Justi, ex Synagoga magna ultimi, discipulus sectæ suæ alumnis solitus fuisset inculcare: DEO decere ministriari non servorum instar, qui eâ conditione Domino ministrent suo, ut mercedem recipient; sed potius absque omni recipiendi mercedem conditione propter DEI reverentiam, quo nobis incumbat; discipuli hujus Antigoni Zadock & Baithos magistri sui sententiam eò acceperunt, ac si nulla prorūs non tantum hujus seculi, sed nec futuri datur merces. Unde ulterius intulerunt: Spiritum hominis post mortem ejus non amplius superesse. Et deinceps resurrectionem

ut in mortuorum negarunt: quod si enim ne posthane quidem vitam retributio aliqua est speranda, nullius usus fuerit resurrectio mortuorum. Ita illi errore semel admissi in plures sunt lapsi!

XLIII. Quam maximè verò ex Mose probationem suam Dominus haurire voluit, quod Sadducæi quinque tantum libros Legis recipient, Prophetarum vaticinia respulant; ut ex Origene & Hieronymo in Matth. XXII. loquitur Isidorus Hispanensis lib. IIX. Origin. cap. IV. In quam sententiam allegare quoq; solent Josephum libr. XIIIX. Antiqq. cap. II. Ne quicquam preter Legem servandum existimant Sadducæi. Nam de sapientia cum magistris disceptare ad virtutem reputant. Quamvis ex Josephi verbis id potius intelligatur, Sadducæos non quidem Prophetas & Hagiographa rejicisse, attamen Legi divinæ ipsi adeò tenaciter inhæsisse, ut ταπεπαδών διερώντες ei non æquarint, neq; cum suis æmulis & adversariis, Pharisæis, æquè eas receperint, & populo obtruserint. Vid. Josephus lib. XIII. Antiqq. cap. XIIIX. Rectius itaque dicetur, quum Sadducæi è Mose contrare resurrectionem insurgerent, visum fuisse Servatori, similiter è Mose resurrectionem confirmare; atq; ita simul eum voluisse horum adversariorum suorum arrogantiam retundere, atque adeò hoc ipsum testimonium adduxisse. Ita nos docet B. Georgius Calixtus Tract. Immortalitate animæ & Resurrectione Carnis cap. V. p. 35.

XLIV. Provocat verò Servator ad verba Dei, quæ ex rubo ad Mosen usurpavit, Exod. III. 6. De resurrectione verò mortuorum, sive, quod mortui suscitandi sint, nonne legitur in libro Mosis, quomodo in rubo ei & vobis locutus sit Dominus, dicens: Ego sum DEUS Abraham, & DEUS Isaac, & DEUS Jacob. Non est autem DEUS mortuorum DEUS, sed viventium: omnes enim vivunt ei. Luc. XX. 37. 38. Ut autem ostendatur, quomodo mortuorum resurrectio ex his verbis probetur, ratio habenda est verbi SUM. Non enim dicit Dominus: Ego ERAM DEUS Abrahami; & sed potius: Ego SVM DEUS Abrahami; &c. non solum ad significandam æternitatem DEI nulla

nulla temporis differentia mensurandam. Vid. Joh. II. 54.
verum etiam ad designandam ἵτεξιν horum sanctorum Patrum
ratione partis sui potioris. Benè Chrysostomus Homil. LXXI.
in Matthæum: Non dixit Deus: ERAM; sed: SUM, eorum
scilicet Deus, qui SUNT, & vivunt. Et Haymo in eundem
locum: Non dixit: Ego FUI Deus Abraham, Deus Iaac, &
Deus Jacob; sed: ego SUM; ostendens animam non simul cum
corporibus, ut Sadducæi putabant, interisse, sed vivere & esse.
Vnde & subditur: Non est Deus mortuorum, sed viventium. Il-
lorum autem Deus esse non posset, si non subsisterent.

XLV. Ulterius expendendum est, quâ ratione Deus
se appellârit DEUS Abrahami. Sciendum autem est, quando
vox: DEUS; ponitur cum casu possessivo, eam notare ēēp̄ īrm̄, protet-
orem, tutorem, dominum; ceu observavit Slevogtus ad Marc.
XII. ex allegatione Joh. Schilteri de Syllog. ex hypoth. cap. III.
§. VI. Sicuti & Philippus Melanchton Part. III. Oper. p. 536.
inquit: Dicere, quod Deus sit Deus aliquorum, (viventium,)
est dicere, quod curet, quod benefaciat, quod servet eos, quorum
se nominat Deum; sicut in primo praecepto dicit Deus: Ego sum
Dominus Deus tuus; id est, te curans, exaudiens, juvans, ser-
vans. Inde intelligitur, cur Servator dicat, DEUM non esse
DEUM mortuorum h. e. ex Sadducæorum hypothesi, eorum,
qui vitâ decedentes ad eum modum intereant, ut prorsus in
nihilum abeant, neque amplius divinæ potentiae subjaceant,
sed potius sicuti nunc non sunt aliquid, ita nec aliquando
sint futuri aut unquam esse possint. Alias Apostolus Rom. XIV.
9. dicit, Christum & mortuis & viventibus dominari; sed is per
mortuos non intelligit eos, qui omni ex parte interierunt,
sed eos, qui quoad potissimum sui partem adhuc supersunt, &
voci DEI aliquando parebunt, in vitam suo tempore reddituri.
Erit itaq; Deus vivorum DEVS, ita ut illi, quorum est Deus, saltem
quoad meliorem sui partem sint superstites, atque ei vivant,
quiq; adeò ejus potentiae subjacent, ut pro ipsius beneplacito in
vitam revocari possint. Circa quem locum notanda sunt ver-
ba Maldonati Comm. ad Matth. XXII. v. 32. Cum Christus ad-
didit: omnes enim vivunt ei; tanum rationem reddere voluit,

CHY



eur Abraham , Isaac & Jacob , qui mortui erant , viventes appellasset , quia nimis omnes non solum , qui corpore vivunt , sed etiam qui mortui sunt , Deo vivunt : non tantum quia eorum anima vivunt , sed etiam quia efficere Deus potest , ut in sua corpora revertantur , & eō modō vivant , quō antea vivebant ; sicuti cap . IX . 24 . dixit : Non est mortua puella , sed dormit ; vel nobis mortui sunt , sed DEO vivunt , quia nos sola videmus corpora : corpora autem mortua sunt , anima vero vivunt .

XLVI . Quibus ita præmissis licebit vim argumenti , quod Dominus contra Sadducœos usus est , profundius inspicere , simul etiam cuiusmodi sit argumentatio , & quid concludat , intelligere . Erit autem talis Syllogismus :

Quorumcunque DEUS est DEUS , illi non quoad omnia mortui sunt & interierunt , sed vivunt Deo , ac quoad meliorem saltem sui partem sunt superstites .

Abraham , Isaac & Jacob sunt illi , quorum DEUS est DEUS .

E . Abraham , Isaac & Jacob non quoad omnia mortui sunt & interierunt , sed vivunt DEO , ac quoad meliorem sui partem sunt superstites .

Major in his Servatoris verbis habetur : DEUS non est DEUS mortuorum , sed viventium . Matth . XII . 32 . Minorem autem ipsius DEI Exod . III . 6 . à Mose consignata , à Christo autem Matth . XXII . 31 . repetita , verba constituant .

XLVII . Sciendum autem est , Servatorem non directe inferre conclusionem principalem , sive τὸ εἶδος χαρᾶς , sed hoc ipsum in questionem minus principalem per quandam μεταλλαγὴν transferre . Duplex autem est μεταλαμβανόμενος , à quo principalis questionis contra Sadducœos suscipienda probatio pendet : unum proximius , alterum remotius . Et quidem Conclusioni demonstrandæ proximius μεταλαμβανόμενος est hoc : Omnem animam rationalem post morrem hominis esse superstitem ; sive animam rationalem esse immortalem , neque unā cum corpore

corpo interire. Remotius autem ~~μελαλαυβανουσον~~ fuit hoc: Abraham, Isaac, & Jacob vivunt; Et si vivunt, vel ratione corporis vivunt, vel ratione animæ: non autem vivunt aut superstites sunt ratione corporis, quippe quod dudum, etiam tunc, cum DEUS hanc gratiæ promissionem ficeret, in principia sua erat resolutum; E. ratione animæ vivunt; si ve quod idem est: animæ eorum sunt superstites vitam intellectualem viventes. Ex hoc beneficio Inductionis, quamvis haec tenus imperfectæ, vel etiam secundum rationem argumentationis exemplaris, sequitur ~~μελαλαυβανουσον~~ questioni principali proximus, nempe hoc: O. anima rationalis est immortalis & post hominis mortem superstes. Quæ ipsa Conclusio universalis quidem ex singularibus præmissis in tertia figura secundum Consequentiam materialem ~~σεικλων~~ fluit, consequentia tamen ista sic satis valida est: quandoquidem omnium animarum ratione istius prædicati eadem est ratio. Ex hac vero secundum propriam Sadducæorum ~~ινδιδειν~~ contra ipsos τὰ οὐκ ἀρχῆς probatum erat.

XLIIX. Unde adeò non solum Servator iterum iterumq; poterat dicere, Sadducæos multum errare; Marc. XII. 27. verum etiam hoc pæctō ipsi os adeò obturabat, ut turba hæc audiens perculsa fuerit ob doctrinam ejus: Matth. XXII. 33. 34. quidam etiam ex scribis (qui procul dubio sectæ Phariseorum erant addicti,) doctrinæ efficaciam collaudarint, & respondentes dixerint: Magister, bene dixisti: reliqui vero non fuerint ausi, quicquid amplius eum interrogare. Luc. XX. 38. 39. Etenim Sadducei, ut Origenes, Hieronymus, & Autor imperfecti Operis annotârunt, propterea futuram negabant resurrectionem, quod animas immortales esse non crederent, idque ex Altis Apostolorum cap. XXIII. 8. perspicuum est. Itaque probata testimoniò noto animarum immortalitate & resurrectione illis probabatur. Adde, quod olim non solum inter Iudeos, sed inter omnes etiam serè Philosophos ha duæ quæstiones, altera de immortalitate animarum, altera de corporum resurrectione, adeò copulata iugataq; fuerint, ut præ una eadēq; haberentur. Itaq; videmus Autorem secundi libri Massa-

Maccabaeorum cap. XII. 43. ex animarum immortalitate resurrectionem probare, idemq; in I. Epist. ad Corinth. totò cap. XV. facit D^r. Paulus, ubi omnia fere argumenta, quibus resurrectionem probat, tantum ad probandam animarum immortalitatem valent; sed quia nemo resurrectionem negabat, nisi qui animas credebat extingvi, eadem argumenta resurrectionem probant. Ita Maldonatus Comm. in Matth. XXII. 32.

XLIX. Atque ita constat, cujusmodi argumentorum genere Servator contra Sadducæos in demonstranda mortuorum resurrectione fuerit usus. Maldonatus l. c. de eodem sic judicat, *voluisse Christum non omnino necessarium, (ἐν τῷ ἔκτειν τῇ ἀναγένεσι προcedens) sed tantum probabile (ἐν τῷ ἐπόχοι, quæ simul concessa supponerentur, haustum) argumentum afferre, quod id ipsum ad coarguendos Sadducæos satis esset.* Ex nostratisbus de argumentatione hâc Servatoris videri potest Cornelius Martini libr. de Analyti Formæ cap. VI. p. 102. seqq. ubi inter alia dicit, *Servatorem Sadduceis solidissime & respondisse ἦν eos confutasse.* Add. Stahlius Nott. & Animadvers. in Compend. Dialect. B. Horneji ad lib. III. cap. II. 9. p. 240. Joh. Schilterus Dissert. de Syllogismis ex hypothesi cap. III. §. VI. nec non Philippus Zeisoldus, qui peculiari Dissertatione, Logicæ sacræ (quam vocat,) subiectâ, Discursum Servatoris de mortuorum resurrectione institutum expendit.

L. Lucem hæc omnia capient ex eruditissimis B. Gerhardi Titii, Theologi celeberrimi, Annotationibus, quibus nonnulla loca Scripturæ in Compendio Theologizæ Hutteri allegata illustravit. Ita autem ille ad verba Matth. XXII. 23. in Loco. XXIX. Quæst. VI. allegata fuit commentatus: *Quæstione sextâ allegatur ab Huttero locus Matth. XXII. 23. Deus est Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Non est autem Deus mortuorum, sed viventium.* *Autor ex hoc loco satis rectè probat animarum ὑπάρχειν post earum à corpore solutionem, Ceterum ipse Dominus verbis his Mosaicis resuscitationem mortuorum futuram etiam confirmatum ivit, ut in capite Matthei citato videre licebit.* Martinus Beccanus Jesuita Opusculorum Theologicorum Tomo V. Apologia pro Judice Controversiarum cap. II. Argumento

*mentio I. p. 317 exagitas Lutheranos, quod argumentum hoc
Servatoris post tot interpretum subsidia non potuerint ad for-
mam syllogisticam redigere, cum in Colloquio Durlacensi
ab ipsis id postulatum esset. Et per hanc Conclusionem: Ergo
Mortui resurgent; inferri a nobis in forma syllogistica. Ceter-
rum quod Beccanus a Lutheranis petit, & quod eos non potuisse in
eo Colloquio prestare, ait, hoc nos ab ipso aut eius successoribus vi-
cissim postulamus, ut ipsi illi pro suo magistrali acumine, si possint,
prudent, nempe e verbis Servatoris nobis in forma syllogistica
inferant, & proxime quidem atque immediatè (nam hoc videtur
Beccanus postulare,) inferant hanc conclusionem: Ergo Mortui
resurgent. Si quis Jesuitarum id prestare valebit, age, faciat
periculum, atque ubi praesiterit, erit nobis magnus Apollo. Ni-
mirum remotò Indibrio & remotò omni jocō, si serio dicendum, quod
res est, intentio Servatoris non fuit, proxime & immediatè inferre
e verbis ex Mose citatis ipsam resurrectionem mortuorum, sed a-
liud quid, quod probato ipse noverat de resurrectione mortuorum.
Sadduceos non magnopere amplius fore tergiversaturos. Etenim
negabant illi homines uitrum, hoc, & quod anima corporibus e-
gressa superstites essent, & quod illa corporibus pristinis aliquando
reduxienda, atque ita mortui olim essent resuscitandi. Christus ita-
que priorem sententiam de animarum ὅμοια proxime & immediatè
probavit, posteriorem autem consequenter tantum & indirectè, in
quantum noverat, Sadduceos priorem hypothesin idcirco negare, ne
tanto facilius ipsam animarum cum corporibus redunctionem possent
negare. Atque probata animarum ὅμοια circa earum redunctionem
cum pristinis corporibus non admodum difficiles porrò futuros.
Argumentum interim Servatoris in forma, si quis sane requireret, hoc
ipsam est:*

*Quorūcunque DEUS est DEUS, illi non sunt mortui, sed
vivunt.*

Abrahāmi, Isaaci, & Jacobi DEUS est DEUS.

E. Abraham, Isaac, & Jacob non sunt mortui, sed vivunt.

Non certè quoad corpus; Ergo quoad animam. Hæc Titius i-

Spiritus, qui hanc in rem videri quoque cupit *Dn. Stahlii Notas in Compend. Dialet. B. Horneji libr. III. cap. IIX. in fine.*

L. Sufficiant hæc de Syllogismo καὶ μέλλειν, cuius structura ita se habet, ut τὸ μέλλειν εἰναι probet ut, hōc probatō ipsum quoq; τὸ εἶ ἀρχῆς vel εἶ οὐσίας, vel εἶ ὁμολογίας sive διὰ συνθήκης ὁμολογηέντος confirmatum esse censeatur. Sciendum tamen est, quando τὸ εἶ ἀρχῆς posita enunciatione, sive conclusione, quæ utcunque probata fuit, vel ex se non sequitur, vel alter, quō cum agimus, id ipsum sive expressā, sive tacitā conventione initā inde secuturum non agnoscit, Syllogismum hujusmodi non esse πρὸς τὸ μέλλειν εἰναι. Unde quando Dialecticus Interrogans Conclusioni abs se illatæ consectariū annexit, quod reverā inde non sequitur, & postmodum Respondentem urget, ut ad objecti Syllogismi præmissas respondeat, non tam syllogismō καὶ μέλλειν utitur, quam stratagēmate quoddam adhibitō eodem uti videtur. Etenim Consequens illud Conclusioni illatæ annexum neque ex sead Conclusionem illam sequitur, neque ex conventione aliqua sive tacita, sive expressā cum Respondente inita. Unde adeò Respondentis est Conclusionis quoque rationem habere, ne præteritā eadem alteram præmissarum per imprudentiam neget, cum totus Syllogismus, consectariō illō remotō, recte sese habere possit.

LII. B. Keslerus in Methodo disputandi Part. speciali p. 179. 180. idem monet, & exempla quædam assert. Etenim si quis ita colligat:

Cibus spiritualis ore fidei accipitur.

Corpus Christi est cibus spiritualis.

E. Corpus Christi ore fidei accipitur; ac propterea non accipitur ore corporis.

Item: Ubi est corpus Domini, ibi & sanguis ejus adest.

Atqui in Sacra Cœna una cum pane consecrato adest corpus Domini.

E. In

E. In Sacra Coena una cum parte consecrato adest quoque sanguis Domini : & per consequens non opus est, ut ille Domini sanguis laicis & Clericis non conscientibus cum consecrato vino seorsim exhibeatur.

Indicium facit alius alicuius exempli :

Qui in Christum credit , credit , Christum esse verum Deum.

Qui Mosi credit , credit in Christum ; imò mysterium Trinitatis admittit.

E. Qui Mosi credit , Christum verum esse Deum credit , imò Trinitatis mysterium admittit. Et per consequens mysterium hoc in Mose clare & distinctè est propositum.

Item :

Quicunq; sunt oves Christi , pro iis Christus est mortuus . Electi sunt oves Christi.

E. Pro electis Christus est mortuus ; atque ita pro reprobis non est mortuus. Vid. Wendelin, Theol. Christ, lib. I, cap. XVII. p. m. 289.

L.III. Monet tamen idem Keslerus , vitium non esse in conclusione illata , sed potius in eo , quod conclusioni alia quod consectarium , ad illatam conclusionem non sequens , annexatur. Unde monet , in hoc casu Respondentem debere negare , conclusionis mantissam rectè adjectam : ac petere novum Syllogismum fieri ex conclusione & ejus consequente : tūm enim manifestius vitium se ostendet. Circa primum igitur exemplum observat , additionem consectarii alere fallaciam oppositorum , cùm acceptio , quæ ore corporis sit , acceptance , quæ sit per fidem , non excludat. In altero exemplo à præsentia ad modum accipiendi malè ait collectionem instituit. Sicuti etiam consectarium tertio syllogismo subjunctum fallaciam à dicto simpliciter ad dictum secundum quid alit ; prout à B. Georgio Caxlio in Apologia contra Wellerum lit. CC. fac. b. monstratum esse docet. Quarti etiam Syllogismi consectarium ad conclusionem

clusionem comparatum prodit fallaciam oppositorum: si quidem quamvis electis meritum Christi ratione applicationis, quæ sit per fidem, necnon secundum voluntatem DEI consequentem, in salutem cedat, ratione acquisitionis tamen & ex intentione Christi secundum voluntatem ejus antecedentem idem illud reprobis quoque est oblatum, quamvis illi hanc gratiam repudient, eademque se indignos culpâ suâ reddant. Conf. Andreas Prücknerus de Method. Disput. part. I. Tract. II. Sect. II. Membr. I. n. 29, 30, 31, 32. p. 219, 220.

LIV. Non igitur sit Syllogismus ~~τοις μεταληφαντουσιν~~, nisi quando $\tau \delta \varepsilon \varepsilon \alpha \chi \eta \varsigma$ ad conclusionem ~~δεικνυσθαι~~ illatam vel ex aliqua hypothesi sequitur, vel ex tacita, aut expressa conventione tanquam legitimè sequens ab eo, quodcum agimus, admittitur. Quod paciò facile patet, quid inter ~~μεταληφαντι~~, & ~~παγωγη~~ interfit. Etenim ideo infertur $\tau \delta \mu \varepsilon \lambda \mu \beta \alpha \nu \sigma \nu \sigma \nu$ tanquam conclusio minus principalis, ut ex eo $\tau \delta \varepsilon \varepsilon \alpha \chi \eta \varsigma$ ulterius inferatur, licet alià ratione, quam quâ secundum primam Syllogismorum virtutem II. Prior. I. indicatam præter $\tau \delta \mu \varepsilon \lambda \mu \beta \alpha \nu \sigma \nu \sigma \nu$, quod Syllogismus actu infert, alia ~~προσομοια~~ vel ad conclusionem illatam, vel ad præmissas sequentia deducuntur; at verò ~~παγωγη~~ est, quando in Syllogismo Minor obscura est, licet non omnino ignotior conclusione, aut pauciora media ad sui probationem requirit, quam ipsa conclusio, ac proinde à conclusionis cognitione ad Minoris propositionis probationem dilabimur, aut eò nos deduci patimur. Vid. Aristot. II. Prior. XXV. II. Top. V.

LV. Sed nec prætermittenda est comparatio Syllogismi metaleptici cum ea Syllogismorum specie, quæ ~~τοις μεταληφαντι~~ concludit. Sunt enim nonnulla, in quibus conveniunt, sunt & in quibus discrepant. Et quidem Syllogismus ad impossibile dicens cum Syllogismo metaleptico in eo convenit, quod non solum uterque sit $\varepsilon \varepsilon \iota \pi \sigma \sigma \sigma \sigma$, verum etiam in eo, quod utriusque generis Syllogismus immediate non inferat conclusionem principalem, sed aliam aliquam

quam , & quidem vel ex se , vel saltem ex opinione alterius veram , ad quam tamen principalis questio est i[n]trodic[ti]o[n]e sequatur . Interim tamen in eo differunt , quod Syllogismus καὶ μέλλειν , quamvis non inferat conclusionem , de qua principaliter sermo est , ejusmodi tamen inferat conclusionem , quae principali questioni est similis , aut cognata . At verò Syllogismus in ἡ dērivatione οὐκ non solum non probat immediatè questionem principalem , verum etiam nec probat ei similem aut cognatam . Sieci nec contradictoriam conclusionis principalis infert , sed eam tantum assumit , ut ex eadem , ut & altera præmissarum concessa , concludat aliquod φαῦλος & manifestè falsum ; ex cuius falsitate denique ejus propositio[n]is , quae conclusioni vel illatae , vel inferendæ contradictoriæ est opposita , falsitas , & ex hujus falsitate tandem ipsius conclusionis principalis veritas cognoscatur . Vid . Joh . Neldel . Instit . de Utu Organ . Arist . Part . III . cap . II . § . 48 .

LVI . Sed & aliam inter Syllogismum καὶ μέλλειν , & Syllogismum ēs τὸ ἀδίαλον οὐσία observat Aristotleles I . Prior . XLIV . § . 3 . differentiam : quod syllogismi metaleptici nonnunquam requirant adversarii confessionem aut concessionem , eamq[ue] vel tacitam , vel expressam ; adeò quidem , ut nisi ea accaserit , s[ecundu]m non possit ad concludendum veniri ; cuiusmodi tamen concessio ad syllogismos ad impossibile ducentes non requiritur , cùm principiorum partim de contradictiorum veritate vel falsitate , partim de syllogistica consequentia loquentium tamen manifesta sit ratio , ut assensus ipsis subtrahit non possit . Dicit hoc Aristotleles I . Prior . XLIV . § . 3 . inquiens : θαφέσται δὲ τὴν αγενημένων ὅπερ εἰ ἐκεῖνοι πάλιν ταῦθιμοι λογίουσι , οὐ μέλλει συμφέσται . — εἴλεντα δὲ καὶ μὴ προδικούσι γνώμενοι συγχωνεύσονται διὰ τὸ φανερόν τούτο φαῦλος . Differunt Syllogismi metaleptici à predictis ad impossibile ducentibus : quoniam in illis antea fateri oportet , ut postea conveniat . Hic verò etiam , qui antea fasū non sunt , admittant , quia falsitas est evidens . Quae verba Joh Baptista Monlorius ita ταχαγεζέται : Est hoc discriminē inter has ratiocinationes ducentes ad incommodum . & illas superiores ex transumptione , quod in illis est necesse , ut prius

ex pacto aliquid concedat adversarius, quod deinde cogatur fateri propositam questionem: In his autem etiam si nihil initio concedat, faciebitur tamen necessario propositam questionem.

LVII. Atque ita constat Syllogismorum *καλὰ μελάντια*.
*concludeantum ratio. Usum eorum, quem sive in arte Analytica, sive in facultate Dialectica pollicentur, quod attinet, de eo placet loquentem audire Henricum Höppnem in I. Prior. XXIII. p. 197. Transsumtorum & ex pacto confessorum Syllogismorum usus Analyticus ex posterioribus Analyticis haberi potest. Si enim propria affectionis subjectum *καθόδος* nomine careat, tunc etiam est hanc postulatione utendum, ut si de una quadam specie sit demonstratum, pro demonstrato habeatur totum genus; cum πρῶτος καθόδος in quibusdam alter demonstrari nequeat. Alioqui in Topicis disputationibus crebro occurrunt & hi Syllogismi, ubi probè cavendum, ne sophistice transsumatur species.*

LIX. Postquam itaque Syllogismorum *καλὰ μελάντια* concludentium indolem pro instituti ratione expendimus, accedendum est ad Syllogismos *καλὰ ποιητικά*: siquidem & illi post eos, qui vel *καλὰ τὸ δίδυλον*, vel *καλὰ μελάντια* concludunt, Syllogismis εἰς ἴσοδον ab Aristotele I. Prior. XXIX. §. 6. accensentur, eosque unā cum reliquis respicit I. Prior. XLIV. §. 4. inquiens: *Multi quoque alii Syllogismi concludunt ex hypothesi, quos considerare oportet, ac dilucide explanare. Quamnam igitur horum sint differentiae, & quot modis siant syllogismi ex hypothesi, posterius dicemus. Quibus verbis partim ea respicit, quae de ratiocinationibus ex similitudine qualitatis in Topicis sunt tradita, partim ea, qua de deductione ad impossibile II. Prior. XI. XII. XIII. XIV. sunt proposita.*

LIX. Syllogismos igitur *καλὰ ποιητικά* quod attinet, quamvis illi aliquid supponant, non tamen tam *καλὰ μελάντια*, per transsumptionem, quam *καλὰ περὶ οὐλήν*, per assumptionem, & quidem ejus, quod simile est, vel aliam convenientiam habet, concludunt; ceu Theophrastus, & cum eo Philoponus docent. Conf. Julius Pacius Comment. in I. Prior. XXIX. pag. 117. nec non Instit. Log. cap. XI. §. 3. 4. 5. Add. Henricus Höppne-

Höppfnerus Comment. in I. Prior. p. 194. 195. 196. nec non pag. 664. seqq. Assumunt autem hi syllogismi unius ad alterum. vel etiam ad reliqua comparationem, ac per ἐπίθεσιν afferunt, aliquid ita esse. Neque tamen putandum est, hos καὶ ποιήτην Syllogismos ejusdem rationis cum illis esse, qui vulgo hypothetici aut conjuncti, in specie conditionales vocantur. Quamvis enim & hi conditionales Syllogismi aliquid supponere videantur, minoris tamen ut & conclusionis terminos in propositione majore comprehendunt; quod tamen Syllogismus καὶ ποιῶν sive καὶ πρόσληψη non facit, quippe cuius Major propositio conclusionis terminos non æquè complectitur, neque etiam terminos minoris ex majore deprendit, sed alterum aliunde assumit. Unde etiam Syllogismus καὶ πρόσληψη vocatur. Vid. Celeberr. Un. Andreas Hedio in Analyt. libr. I. Prior. p. 224. 225.

LX. Potissimum vero syllogismi καὶ ποιῶνa conclusiones rerum similitudines respiciunt, ac secundum illas per ἐπίθεσιν aliquid assumunt, quod est minus principale, ut secundum hoc illud ipsum, quod est εἰς αἴχνην, inferant. Cujusmodi sunt haec collectiones:

Qualis est Rex, tales quoque sunt cives regni.

Atqui Rex sinceriori atque puriori religioni est addictus.

E. & subditi regni sinceriori atque puriori religioni sunt addicti.

Item: Qualis est arbor ad rivos aquarum, talis est justus.

Psalm. I. 3.

Atqui arbor ad rivos aquarū plantata latissimē fructificat.

E. & justus latissimē fructificat.

Item: Quod primitiis evenit, idem quoque reliqua segeti eveniet.

Atqui primitiae sunt excitatae ad gloriam. I. Cor. XV. 20, 23.

E. Reliqua quoque seges ad gloriam excitabitur.

Item: Non est eadem potestas Regum & ministrorum Ecclesiæ.

Reges autem dominantur.

F

E. ministri

E. ministri Ecclesiae non dominantur. Matth. XX. 25.

26. Marc. X. 42. 43; Luc. XX. 25. 26. I. Petr. V. 3.

LXI. Etiam si verò Syllogismi καλὰ ποιότητα rerum qualitates, inque his fundatas similitudines respiciant, ad eas tamen non ita sunt adstricti, quin & ad alias convenientiarum rationes, immo & analogias sese diffundant, sicuti & τῆς ποιότητος ambitu quodlibet accidentium genus comprehendi non nulli Interpretum arbitrantur, ita ut qualitas & similitudo reliquias quoque categoriis accommodari quodammodo possint; utut comparationes secundum qualitates præcipue in hoc genere instituantur. Hinc fit, ut comparationes secundum quantitatem, aut secundum relationes, immo & quascunque analogias, item ad τὸν οὐρανόν, & τὸν Καίρον, nec non τὸν Κανάδην institutæ Syllogismis καλὰ ποιότητα materiam suppeditant. Vid. Laurent. Valla libr. III. Dialect. Disp. cap. X. & ex eo Scheiblerus Oper. Log. part. IV. cap. X. §. 9. Add. Petrus Fonseca lib. VII. Instit. Dialect. cap. XXVII. ubi inter alia sic inquit: *Similia non tantum dicuntur ea, quorum eadem est qualitas, sed & ea omnia, quibus aut unum aliquid convenit, aut certè plura, que analogias proportionemve aliquam inter se habent.*

LXII. Exempla hujusmodi argumentationum possunt esse sequentia:

Quantus est Atlas, tantus quoque est Caucasus.

Atqui Atlas Apenninum superat quinques.

E. & Caucasus Apenninum superabit quinques.

Item: Ubi thesaurus vester est, ibi quoque cor vestrum est.
Matth. VI. 21.

Atqui thesaurus vester est in cœlis.

E. in cœlis quoque erit cor vestrum.

Item: Ubi est Christus, ibi & discipuli ejus sunt futuri. Joh. XVII. 24.

Atqui Christus est in cœlo & statu beatitudinis.

E. Et discipuli Christi in cœlo & statu beatitudinis sunt futuri.

Item:

Item: Ubi cadaver est, ibi quoque sunt aquilæ. Matth. XXIV.

28. Luc. XVII. 37.

Atqui cadaver est in campo.

E. aquilæ sunt quoque in campo.

LXIII. Interdum accedit ratio majoris & minoris.

Unde Monlorius in Paraphr. I. Prior. XXX. §. 14. p. 239. inquit: *Ex qualitate (regla ratio[n]is) sunt ratiocinationes, qua sumuntur à comparatione majoris, minoris, & paris.* Conf. Paraphr. in I. Prior. XL. §. 11. p. 274. Sciendum autem est, per argumentationes à majori ad minus affirmativè, per argumentationes vero à minori ad majus negativè concludi. Vid. Höpfnerus Comment. in I. Prior. p. 665. 666. B. Schraderus Comment. de Usu Rhetor. Aristotel. libr II. Rhetor. cap. XXIII. §. 6. 7. p. 442. Clariss. Dn. Hedio l. c. p. 226. Exempla possunt esse hujusmodi :

Quæ ratio in extremo judicio erit cogitationum & dictorum, ea multò magis erit factorum ipsorum.

Sed cogitationum & dictorum in extremo judicio exactissima ratio est reddenda. Matth. XII. 36. 37. Rom. II. 15.

E. factorum multò magis exactissima ratio in futuro extremo judicio erit reddenda. Apoc. XX. 13. Conf. Jerem. XII. 5. Matth. VI. 26. 30. X. 29. 30. 31. XXV. 24. 25. Luc. XI. 11. 12. 13. Joh. XV. 20. Rom. IX. 31.

Item: Quâ ratione servus sè gerit in minimo, eâ quoque ratione sè geret in maximo.

Sed servus nequam in minimo non est fidelis.

E. servus nequam multò minus in maximo erit fidelis. Luc. XVI. 10. 11. 12. Conf. Malach. I. 8. Luc. XXIII. 31. I. Tim. III. 5. Rom. XI. 21. I. Petr. IV. 18. I. Joh. IV. 20.

LXIV. Pertinent huc quoque istæ collectiones:

Senes consiliò magis valent, quam juvenes.

Atqui senes nonnunquam aberrant.

E. Juvenes multò magis aberrabunt.

Item: Melior est Respublica Spartanorum, quam Thebanorum.
Atqui Respublica Spartanorum suos habet n̄evos.

E. & Respublica Thebanorum suos habitura est n̄evos.

Item: Rex Galliae potentior est Imperatore Turcarum.

Sed Rex Galliae non potest subjugare Germaniam.

E. Imperator Turcarum multò minus Germaniam poterit subjugare.

LXV. In his similibusve argumentationibus aliquid sequitur, quia facta hypothesi, quod aliquid ita sit, vel non sit, assumitur, quod actu est extra ea, quae supponuntur, licet forte virtute & potentia in illis contineatur. Et hāc sanè argumentandi ratione nonnunquam opus est. Cūm enim non oporteat omnium rerum sive definitiones, sive demonstrationes querere, in multis sanè convenit rō ἀνέλογον οὐρανόν, rerum similitudines considerare. IX. Metaph. VI. §. II. Quā sanè ratione materiæ primæ & communis, quatenus in ordine ad formas, ad quas recipiendas θεάμην habet, resertur, ratio per analogiam materiæ, quae formis artificialibus substernitur, explicatur. Sunt enim res naturales & artificiales genere quōdam, & modō agendi similes, ut docet Philosophus II. Phys. II. §. 79. & ars naturam imitari dicitur. Hinc Philosophus I. Phys. VII. §. 69. inquit: Η δὲ ὑποκείμενη φύσις ἐπιστὴν μὲν ἀναλογίαν. Natura autem ea, qua subjicitur, (materiæ prima,) similitudine rationis sub scientiam cadit. Nam ut ad statuam as, aut ad lecticam lignum, aut ad aliquid aliud eorum, qua formam habent, materies atque informe se se habet ante, quam suscipiat formam: sic ad substantiam, & hoc aliquid, atque id, quod est, hac se habere videtur.

LXVI. Dum autem dicimus, tali rerum comparatione, quæ syllogismis καλὰ ποίητα materiam præbeat, nonnunquam esse opus, de eo quis posset dubitare: an hāc assumptio à vitio petitionis τὸ εἰδεχόμενον sit immunis? an verò hōc syllogismorum defectu II. Prior. XVI. nec non II. Top. XIII. & lib. de Elench. Sophist. cap. XIIII. indicatō laboret? Et quidem hoc propterea, quia in omni argumentatione principia, & ea, ex

ea , ex quibus aliquid insertur , debent esse notiora eō , quod
insertur. At verò cùm hīc assumuntur similia , unum non
videtur notius esse alterō , cùm Similia sint relata ; relata autem
sicuti sunt simul naturā , ita & simul sunt cognitione , dum
unō eorum cognitō & alterum cognoscitur. libr. Categor.
VII. §. 17. Verūm enim verò quamvis non necessum sit o-
mnia relata esse simul , sed unum prius esse possit alterō tām
quoad esse , quām ratione cognitionis , uti vel ipse Aristote-
les l. c. docet ; non tamen insuper habenda est responsio Ni-
colai d' Orbelleis Curs. Philos. Tractat. V. ubi agit de Loco à
Simili , atque docet , quod Simile posst dupliciter capi : vel for-
maliter , pro relatione similitudinis : vel fundamentaliter. Primō
modō unum simile non est notius alterō : quia Similia sunt relativa
equiparantia. Secundō modō unum est notius in esse alicui subje-
cto , quām aliud alteri : sicut notius est , rōrisibile inesse homini ,
quām rōrisibile equo : & hoc modō sumitur locus à Simili , sc̄i-
licet pro fundamento , quod denominatur à relatione similitudinis.
Primō autem modō arguendo à Simili secundum relationem simili-
tudinis est locus à relativis : ut , Socrates est similis Platoni , E.
Plato similis est Socrati.

LXVII. Ex dictis apparet , quānam sit ratio Syllogi-
smorum *καλῶ ποιῶντα* , quippe in quibus factā hypothēsi assu-
mitur , quod notius est , vel saltem esse potest. Quæ ipsa
argumentandi ratio , quamvis non prorsus sit contemnenda , ut
Fonseca l. c. sub finem cap. XVII. monet , cavendum tamen
est , ne ipsa vitiosa evadat. Id verò i. fit , si excedatur ratio
similitudinis , convenientiæ , comparationis & analogiæ.
Quō pactō vitiosa esset collectio , si quis ad Angelorum mini-
steria & cultum configuiens , ad eorum intercessiones , quæ sibi
salutaria sunt , à Deo se impetraturum confidat : quandoqui-
dem à Regibus per ministros ipsis proximos consequimur ,
quæ desideramus. Etenim hāc ratione Deus & Reges inter-
se non comparantur. Unde & *ἀγελοδημοτανα* Apostolus Co-
liss. II. improbabvit. Vid. Bellarminus libr. I. de Sanctor. Bea-
tit. Tom. II. cap. XX. §. Ad tertium locum &c. p. m. 299.

LXIX. 2. Vitiosa evadit argumentatio *xalā ἀνίστηλα*
non solum affirmans, sed & negans, quando in hypothesi
assumpta sermo est de identitate aut convenientia communi,
accommodatio autem fit ad convenientiam propriam ac individualem, aut vice versa, quando assumitur hypothesis de
convenientia singulari loquens, ea autem ad communem
convenientiam accommodatur. Quod pacto has similesve ar-
gumentationes vitiosae concludere observavit Höppfnerus l.c.
p. 669. 670.

Ubi ego sum, ibi & tu es.

At ego sum in loco me ambiente.

E. & tu es in loco me ambiente.

Item: *Ubi ego sum, ibi & tu non es.*

At ego sum in hoc museo.

E. tu non es in hoc museo.

Subest enim his ac similibus fallacia, quæ est παρὰ τὸ χῶμα θῆ-
λλεως, libr. de Elench. Soph. cap. IV. §. 9.

LXIX. 3. Evadet etiam Syllogismus *xalā ἀνίστηλα vi-*
tiosus, quando vel à majori sive eo, quod cum majore veri-
similitudine est coniunctum, ad minus sive ad id, quod tan-
tam non alit verisimilitudinem, affirmativè, vel contra-
à minori ad majus negativè collectio instituitur: quando-
quidem tunc non potest non falsa assumti hypothesis. v. g.

Qualis fuit Deus erga Judæos à fide deficiente, talis e-
tiam erit erga eos, qui è gentibus ad Christum con-
versi fuerint, si à fide deficiant.

Sed Judæis toties peccantibus pepercit.

E. vel multò magis hominibus ex gentilismo conversis
parcer, si à fide defecerint.

Vitium vero in eo est, quod debitò modò hypothesis in com-
parisone Judæorum & gentilium non fuerit assumta, cùm
potius comparationem ita instituat Apostolus: *Deus naturali-
bus ramis (Judæis) non pepercit*, quibus tamen parcit iri
vero magis erat simile; *multò minus igitur parcer insitiis*, è
gentibus ad Christum conversis, si à fide defecerint. Rom. XI.
21. Variter vitiosa collectio ob falsam hypothesis assumtam
fuerit, si quis ita fuerit argumentatus:

Qua-

Qualis Deus Pater fuit erga proprium filium , talis quo-
que erga homines est futurus.

Sed proprium filium confecit & contrivit, nec ei pepercit.

E. & homines conficiet ac conteret , nec iis parcer.

Etenim assumta hypothesis est falsa atque Apostoli effato con-
traria , qui Rom. II X. 32. ita docet: *Qui proprio & unigenito fi-
lio non pepercit , sed pro nobis omnibus tradidit eum , quomodo non
eriam cum eo omnia nobis gratificabitur?*

LXX. Quænam itaque circa Syllogismum *καλὰ ποιό-
ττητα* sint observanda, hōc pactō est indicatum. Ejus verō
indolem si penitus , comparatione etiam ad reliqua Syllogi-
smorum *εξ ὑποθέσιως* concludentium genera factā, inspiciamus,
deprehendimus, eundem de λόγῳ Syllogismorum *εξ ὑποθέσιως* mi-
nus , quām Syllogismum *καλὰ τὸ αἰνάλον* , vel Syllogismum
περὶ τὸ μελαλαυκανόμενον , participare : Cum enim hi non
immediatē *τὸ εἶ πρᾶχης*, sed talem potius conclusionem, quæ
ad principalem quæstionem per modum *ὑποθέσιως* sese habe-
at, inferant, iste contra id ipsum, quod principaliter in quæ-
stione est, infert ac concludit. Ac per consequens cùm cir-
ca reliqua genera quæstionis principalis conclusio pendeat à
Syllogismo extra eandem formato, Syllogismus *καλὰ ποιόττητα*
hypothesin, quā nititur , non extra se, sed potius in se ipso,
non in alia aliunde confirmata conclusione, sed potius in-
alterutra præmissarum habet. Præcipua autem hypothesis
est illud ipsum principium, quod rerum vel convenientiam,
vel ad se invicem habitudinem exhibet. Et cùm reliqui Syl-
logismi *εξ ὑποθέσιως* principalem conclusionem *διεύλυνεν* non in-
ferant, id tamen facit Syllogismus, quem *καλὰ ποιόττητα* voca-
vimus, qui Syllogismis *εξ ὑποθέσιως* accensetur, quodd loco
alterius præmissæ non quamlibet *ὑπόθεσιν*, sed eam, quæ re-
rum similitudine , convenientiâ , analogiâ , aut ad se
invicem habitudine nititur , assumat. Quòd si autem con-
tingat , *περὶ στολὴν*, quæ præcipuum *ὑπόθεσιν* continet, vel non
esse perspicuam , vel formæ Syllogismorum ratione verbo-
rum non adeò esse accommodatam, vocum mutatio ita est in-
stituenda, ut tamen sensus idem maneat, nec varietur.

LXXI.

LXXI. Sufficere hæc nobis possunt de Syllogismo καὶ τὰ ποιῶντα, de quo pauca admodum attigit Aristoteles, imò præter solam nominis mentionem vix quicquam de eodem reliquit. Id quod procul dubio inde fuit factum, quod is non æquè scientiam ac certam cognitionem, quām reliqui Syllogismi εἰς ὑποθέσεως, respiciat, qui non solum ad τὴν δόξαν, verū etiā ad τὴν ἐπισήμην conducunt. Unde adeò rectè Clariss. Dn. Hedio in Analytica libr. I. Prior. cap. III. pag. 227. inquit: *Iste syllogismus hypotheticus, qui secundum qualitatem vocatur, usum ferè in Dialecticis solum, in demonstrando verò aut planè nullum, aut perexiguum habet, ut ea propter etiam Aristoteles in libris Analyticorum nihil de hoc Syllogismo præter solam nominis mentionem adducat.*

LXXII. Eodem tendunt Henrici Höpfneri verba Comment. in libr. I. Prior. Anal. cap. XXIII. p. 196. 197. ubi sic loquitur: *Nihil de his Syllogismis habet Aristoteles, præter solam nominis mentionem. Nempe si causam divinare licet, portius eorum usus Topicus est, quām ut utriusque Logicae speciei (h. e. Analyticæ scientiæ, & Dialecticæ facultati) conveniat. Reliqui autem duo hypothetici, syllogismus videlicet διὰ τὰ αὐτά, nec non καὶ μετά τὰ, concludentes, etiam in Analytica sūnum locum habent, quemadmodum probationis per absurdum ex cap. XI. libr. I. Posterior. §. 2. 3. transsumtorum autem, & ex pæcto concessorum syllogismorum usus Analyticus ex iisdem posterioribus Analyticis haberri potest. Si enim propria affectionis subjectum καὶ τὸ nomine careat, tunc etiam est hæc postulatione utendum, ut si de una quadam specie sit demonstratum, pro demonstrato habeatur totum genus; cùm πρῶτον καὶ τὸ in quibusdam aliter demonstrari aequat. Alioqui in Topicis Disputationibus crebro occurrunt hī syllogismi, ubi probè cavendum, ne sophisticè species transsumatur. Nos in allatis acquiescimus, cùm indicasse nobis sufficiat, non unius rationis esse organa illa, quibus in eranda cognitione, ad quam contendimus, sit utendum, atque hominem tanto esse perfectiorem, quanto rectius & expeditius iisdem uti valuerit.*

A 666
AB 146 886 (1)



4

St. P. 76

Rathen ✓

VD 17



B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

DISSE¹⁶RATI¹⁵O PHIL¹⁴OSOPH¹³ICA
DE
SYLLOGISMIS
KATA ΜΕΤΑΛΗΨΙΝ,
NEC NON
KATA ΠΟΙΟΤΗΤΑ,
Q U A M
D. O. M. A.
IN ILLVSTRI ACADEMIA JULIA
P R A E S I D E
JOHAN. BARTHOLDO
NIEMEIERO,
SS. Theologiæ D. Ejusdemque , nec non Primæ
Philosophiæ ac Logices Professore Publico Ordinariō , Facultatis Philosophicæ
Seniore,
AD D. XXXI. MARTII cīc Icc.
IN JVLEO MAJORI
publico Eruditorum examini submitte^t
ADOLPH. GEORGIVS Heinemann/
Brunsvicensis.
••(○)••
HELMESTADII,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad.Typogr.